
DISQUISITIO HISTORICO-THEOLOGICA AN JANSENISMUS SIT MERUM...

Jacques La Fontaine




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
35 I
12



AD


INNOCENTIUM DUODECIMUM PONTIFICEM MAXIMUM DISQUISITIO HISTORICO-THEOLOGICA

An Jansenismus sit merum Phantasma.

PARS PRIMA

JANSENIUS.

Per JACOBUM DE MONBRON
Theologum Belgam.





COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud Hæredes JOANNIS WIDENFELT. 1692.

BEATISSIME PATER,

MUlta jam pridem eaque perſpicua Janſeniſmi in Belgio nondum penitùs extincti indicia anxius conſiderabam. Spectabam flammas tunc indè erumpentes omine tam in fauſto, ut afflictiſſimæ bellorum motibus Patriæ minitari viderentur incendium, cui nulla aliquandò Theologorum Orthodoxorum ſtudia, nulla Epiſcoporum vigilantia, nulla ſœcularium Magiſtratuum, ne ſuprema quidem Regis ac Pontificis autoritas reſtinguendo ſufficerent. Sæpius Theologos quoſdam, qui ſe S. Auguſtini diſcipulos prædicant jactantes audiveram quinque Propoſitiones famoſas ab Innocentio X. & Alexandro VII. in ſenſu autoris proſcriptas in Jan-

ſenio nuſquam reperiri ; erraſſe hos Pontifices ac præſertim Alexand. VII. in quæſtione facti, uti & Urbanum VIII. cum Janſenii librum damnavit ut reſuſcitantem ac ſtabilientem articulos à Pio V. & Gregorio XIII. condemnatos. Obreptionis & ſubreptionis convictas fuiſſe conſtitutiones Apoſtolicas, æmulorum artibus atque importunitate extortas ; ſed dein Alexandrum veritate detecta reſipuiſſe, agnoviſſe errorem, præcipitem ac iniquam ſententiam retractaſſe, paternâ complexum eſſe benevolentiâ, laudibus ac beneficiis cumulaſſe eos, in quos paulò antè ut in rebelles Eccleſiæ, ut in filios iniquitatis hæretica ubiquè zizania diſſeminantes invectus fuerat tam atrociter ; quos tot Decretis ac ſanctionibus perſtrinxerat , quos perſecutus ubique fuerat, non tantùm vibrato ſæ-

pius

pius excommunicationis anathemate, ſed & Regum tum Catholici tum Chriſtianiſſimi concitatis in eos animis, & armatâ potentiâ ut nî Janſeniani ſenſûs damnationi ſubſcriberent, pœnis gravibus mulctarentur. Quoties denique jactantes audivimus doctrinam, quam in Bullis contrà Janſenium editis Sedes Apoſtolica ſæpius proſcripſerat ab Alexand. VII. in Brevi ad Convenenſem, alioſque Galliæ Epiſcopos dato, Anno 1663. 29. Julii ſaniorem declaratam, approbatam atque commendatam fuiſſe: Hæc inquam & ejuſmodi generis complura Janſeniani ſpiritûs & mendaciſſimæ ſi quæ uſquam fuit, nondumque edomitæ, ſed quotidiè magis invaleſcentis hæreſios argumenta teſtata accipimus undiquè, coràm oculis ipſi intuemur, & fruſtrà hactenùs taciti ac gemebundi in ſcriptis Janſe-

niſtarum paſſim obviis legimus. Ex Orthodoxorum ſilentio hæc vires capit, nunquam pernicioſius bellum inferens, quàm dum pacem ſimulat cum Eccleſiâ. Illud verò audaciæ, temeritatis, impudentiæ planè ſingularis eſt, quod hæreſis tam variis, tam ſolennibus Sedis Apoſtolicæ ſanctionibus profligata ac protrita, veluti poſt clades animoſior non erubuerit perfrictâ fronte, & quaſi abſterſâ tot anathematum fuligine, nuper ſponte ſuâ, nullo jubente, vocante nemine Romam & Vaticanum ſubire, ſiſtere ſe auguſtiſſimo Tribunali, Beatitudinis tuæ prædeceſſores de errore poſtulare, vindicare Patriarcham ſuum Janſenium, ejuſque Pſeudo-Auguſtinum, eliſis quibuſcumque contrà eum definitionibus, exploſis excommunicationum cenſuris, incuſatâ Romanæ Curiæ oſcitantiâ ac cor-
rup-

ruptelâ, conculcatâ denique Summorum Pontificum autoritate. Hæc ausâ est, & nuper ausa est coram Beatitudinis tuæ prædecessore hæresis Janseniana, oblatâ totius factionis nomine ambiguâ quâdam professione, cum narratione historicâ. Quibus titulis? Augustinianorum Theologorum circà V. Propositionum materiam expositio articulis V. ad Alexand. Pontif. VII. olim transmissis comprehensa, nunc Alexandri Pontif. VIII. judicio denuò subjecta, & ad publicam omnium, quorum interest notitiam delata, cum brevi narratione de ejusdem expositionis, seu articulorum V condendorum consilio & occasione. M. DC. LXXXIX. nullo expresso nomine Typographi, nullo loci, nullo autoris; sine ullius approbatione contrà tam expressam Concilii Tridentini ordinationem

nem & præſcriptum. Libelli initium eſt: *In nomine Salvatoris noſtri;* finis *Gratia Salvatoris apparuit.* De V. articulis à quibus exorditur nihil in præſentiarum queror. Senſu laborant ancipiti, altero à Thomiſtarum principiis non abhorrente & probabili, altero Janſenianis dogmatibus prorſus congruo. Perfectam articulorum cum Janſenii Pſeudo-Auguſtino convenientiam invictè demonſtravit Cornelius à Cranebergh citatis fideliter Janſenii verbis collatiſque utrimque ſententiis, neque ullus hactenus prodiit, qui diſcrimen ullum ſententiarum detexerit, aut aſſerere ſit auſus; quid dico auſus? Autores articulorum cum fuerint notorii Janſeniſtæ numquam eos concinnaſſent, numquam eos divulgaſſet autor libelli: *Doctrinæ Auguſtinianorum Theologorum, &c.* niſi doctrinæ Janſenianæ in omni-

nibus reverà consonos agnovissent. Non temerè hæc concepta suspicio est, sed à Cranebergio certis indiciis comprobata. Mihi verò Sedes Apostolica ab erroribus impudenter impactis vindicanda est, detegendæ malevolorum insidiæ ac machinationes subdolæ, quibus velut cuniculis fidei Petram, & invictam Ecclesiæ arcem subruere moliuntur filii iniquitatis, atque hic inprimis Anonymus in libello : *Doctrinæ Augustinianorum Theologorum*, &c. Hujus fraudes ante me Theologi complures luci exposuere ; ego irreligiosam totius factionis erga Belgii nostri & Galliarum Antistites, ergà S. R. E. Cardinales, ergà Christi Vicarios irreverentiam, autoritatis falli nesciæ contemptum, & jactas in universam Romanam Curiam calumnias coràm sanctitate tuâ revincendas suscipio. Sed in tantâ rei indignitate modum tenere

Catholico Theologo Romanæ Sedis ſtudioſiſſimo perdifficile eſt, & à perſtringendis ſubindè graviùs ſupremæ in terris Majeſtatis hoſtibus ſibi temperare. Dicere mihi liceat (dicam enim veriſſimè) *Zelus domus tuæ comedit me*. In Orthodoxa religione educatus ſum, Catholica principia ab incunabulis edoctus, nihil umquam antiquius habui, quam inter tam varios diſſentientium opinionum fluctus, quibus Belgium jam tot annos à novatoribus agitatur, inter continua fidei diſcrimina oculos ad Romanam Sedem convertere, indê documenta petere, quò error hactenus penetrare non potuit, quò juxta inviolata Chriſti promiſſa aditum numquam reperiet. Hanc Petri Cathedram, quamvis divino protegente numine adversùs ſtygem ejuſque adminiſtros hæreticos ſatis tutam, inconcuſſam, immobilem, & de-

fensionis meæ minimè indigam, propugnandam pro viribus in ipso Theologiæ vestibulo mihi proposui, certus non modò labores, studia, vigilias, tempus omne, sed & valetudinem & sanguinem si opus fuerit, ipsi promptissimâ voluntate immolare. Idem propositum est pluribus, & ni fallar omnibus, qui mecum Charitatis vinculo & Doctrinæ societate conjuncti sunt. Zelum hunc Sanctissime Pater cum Beatitudini tuæ non ingratum fore confidam, presentem lucubrationem Ecclesiæ non inutilem, confutandis malevolorum in Sedem Apostolicam calumniis, & stabiliendæ ejus in Belgio autoritati opportunam, ejus pedibus advolvere, & irrefragabili submittere sententiæ haud reformido. Sed neque refugio debitas calumniantibus pœnas, si objectum adversariis crimen schismatis, rebellionis, læsæ autoritatis Apostolicæ,

& confirmati Janſeniſmi non probavero. Sin cauſam obtineo aliud à ſanctitate tua hujus qualiſcumque obſequii præmium nec flagito nec exopto, quam ut pro ſua ſingulari, & toti orbi conſpicuâ providentiâ, quemadmodùm felicis recordationis Prædeceſſor veſter Innocentius X Janſenianam hæreſim, diſtinctâ propoſitionum condemnatione proſtravit, eam erectâ rursùs cervice Eccleſiæ imminentem, opprimendam, ſuffocandam, ac penitùs evellendam adoriaris. Intereà ad Eccleſiæ incolumitatem & bonorum omnium ſolatium ſanctitati tuæ annos plurimos omni cæleſtium bonorum copiâ affluentes ſummo affectu voveo.

SANCTISSME PATER.

Sanctitatis Tuæ

Devotiſsimus atque obſequentiſsimus Famulus JACOBUS DE MONBRON.

CAPUT I.

Quid Jansenistæ nomine intelligatur. Aperitur illlustre Jansenianæ sinceritatis specimen.

VEtus Jansenistarum querela est, & miserabilis lamentatio integerrimæ vitæ Sacerdotes, vigiles animarum Pastores, disciplinæ veteris à sæculis aliquot heu! nimium collapsæ instauratores fervidos, gratiæ per se efficacis, & prædestinationis gratuitæ defensores, invidiosè Jansenistas appellari; hoc nomine apud summos, & infimos traduci malevolè, de hæresis crimine postulari, excludi dignitatibus, beneficiis, lectionibus publicis, & sanctiori Doctorum Collegio, seu Facultate strictiore. Ego quidem Jansenistæ nomen, in non nullos fortè innoxios, ut est vulgus ad maledicendum pronius, quandoque jactari facilè adducar ut credam, sed non alios reperiri, qui merito suo Jansenismi laborent infamiâ, nullus persuaserit. Illud experientiâ compertum est, ad Jansenistarum Classem passim revocari eos, qui usitatum in Ecclesia SS.

Cultum arrodunt, qui piis fidelium peregrinationibus, Rosarii, Scapularis, Zonæ, ac cæteris Regularium Confraternitatibus ad augendam in Christiana plebe pietatem peropportunis, detrahunt; mendicantium ordinum, ac Jesuitarum præ cæteris hostes, & calumniatores publici; qui frequentem Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ usum abrogant; Qui in impertiendâ Rusticis, aliisque infimæ sortis hominibus absolutione admodum parci sunt; in differendâ Communione etiam Paschali liberaliores; in edocendis, scrutandis, explicandis citrà necessitatem, & contrà decorem impudicitiæ peccatis, & circumstantiis sagaces; in expiscandâ complicum notitiâ importuni; in revelando Confessionis arcano minùs scrupulosi; sanctionum Pontificiarum contemptores dum Romana Anathemata nihil vereri volvunt promiscuè condemnata volumina Testamentum Montense, Montaltii Epistolas, Missale Gallicum, &c. nec ea ipsi volvere contenti spargunt ubique, commendant, obtrudunt omnibus, ne soli aut cum paucioribus pereant. Quoquo plures illaqueent, nihil nisi rigorem verbis spirant, benigniora circà mores dogmata detestantur; graivtatem in incessu, & totius corporis

ha-

habitu affectant plus quam Catonicam. Jansenistarum istæ proprietates quædam sunt principiis, & institutis partim Iprensis Antistitis, partim fidi ejus Achatis Joannis Vergerii conformes, partim aliorum Jansenismi primipilorum industriâ, & praxi introductæ. Sed hæ in rigore, & per se Jansenistæ constituendo non sufficiunt. Propriissimè hoc nomine appellandus venit, qui Jansenii doctrinæ adhæret, præsertim in materia famosarum 5 propositionum. Sic Thomistas, Scotistas, Molinistas vocamus, qui in agitatis inter Scholasticos quæstionibus, S. Thomæ, Scoti, aut Molinæ placita tuentur. Sic Pelagianos, Lutheranos, Calvinistas dicimus, qui Pelagio, Luthero, Calvino consentiunt. Non placet tamen hæc Jansenistis substrata nomini significatio; hoc enim pacto non ignorant Jansenismum inter figmenta minimè collocandum, sed ab Iprensis Pseudo-Augustini temporibus huc usque insignem Jansenistarum numerum numquam defuisse. Quare plus aliquid notioni Jansenistæ subintelligunt, nisi insigniter eos mentiri dixeris, quoties jansenizare se pernegant. Mentiri autem quî existimem viros tam graves, tam severos, tam exosos omnem restrictionem etiam realem, seu non purè menta-

lem, ut ne Confessarium quidem rogatum an V. G. Autorem nesciat homicidii, respondere patiantur se nescire. At ea Confessarii tergiversatio Pœnitentem fortè suspectum reddet, prodetur arcanum Sacramenti, odiosa fiet confessio. Quidquid sit, inquiunt, tam detestabilis est, tamque perniciosus humano commercio restrictionum usus, ut nec tantillum ei licitè indulseris. Videri potest Gummarus Huygens celeberrimus Lovanii Pseudo-Augustinianorum Antesignanus, & Janseniani Phantasmatis intrepidus assertor.

Hic ipse Gummarus est, quem D. Gery in sua damnata nuper à Facultate Duacenâ Apologiâ prædicat, ut mortalium omnium mansuetissimum & tolerantissimum : *Le plus doux, & le plus patient des hommes.* Hic Gummarus est, de quo idem D. Gery non minùs verè scribere potuisset, illud candoris, ac sinceritatis testimonium, seu Elogium D. Francisci van Viane, *ce bon Viellard, qui est la sincerité même.* Quis Doctores ejusmodi suspicetur reos esse mendacii toties repetiti, tot libris divulgati, communi nomine Discipulorum S. Augustini coram Christi Vicario, Eminentissimis, ac Reverendissimis Cardinalibus, coram Episcopis omnibus, coram

ram Imperatore, Regibus, Magistratibus, tum Civilibus, tum Ecclesiasticis tam confidenter proclamati, *in nomine Salvatoris nostri Dei, & in laudem, &c.* ut magnificè ordiuntur expositionem Doctrinæ Augustinianorum Theologorum, coram Alexand. VIII Pontifice Maximo? An fortè calumniari me dicent, cum assero eos, qui passim in Belgio Jansenistæ à non rudibus appellantur in nullo quoad sententiarum sensum, & substantiam, ab Iprensi recedere? Vereor ut dicant aliquando, tunc enim saltem spes aliqua quasi per rimam affulgere inciperet securturæ conversionis; sed nimis Magistrum suum depereunt, quam ut ejus effatis præsertim fundamentalibus adversari usquam velint, aut se adversarios profiteri. Quid igitur amplius ad Jansenistæ constitutionem requirunt cum hoc sibi nomen injuriâ tribui vociferantur? Requirimus, inquiunt, ut præterea sit *homo exoticus nec sanæ fidei.* Sic intellexit, sic declaravit nuper Palladius inter Jansenii vindices nulli secundus in Prosecutione Criseos pag. 20 sub finem. Hoc sensu ne Jansenius quidem Palladio ejusque asseclis fuerit Jansenista. Nec enim eorum judicio novus hic Augustinus *homo exoticus* fuit, & *doctrinæ non sanæ.* Nequidquam illis

Pontificum definitiones objicis, & anathemata propositiones Jansenii ferientia. Quid enim? Proscripserintne doctrinam, & sensum Hipponensis? Huic autem omnia tam conformia docet Iprensis, ut identitas sententiarum dicenda sit potiùs, quàm similitudo. Hoc argumento freti modò aiunt propositiones 5 famosas Constitutionibus Innocentii & Alexandri VII confixas non reperiri in Jansenio, modò reperiri quidem unam sed sono verborum tenus, & sensu minimè condemnato. Frustrà eos urseris verbis Alexandri sensum Jansenii disertè exprimentibus; in promptu responsio est: alium planè absurdum enuntiationum sensum Pontifex in mente concepit, quem cum proscriberet, Jansenii esse existimavit. Erravit scilicet optimus Pontifex delusus à Molinistis, aliisque gratiæ per se efficacis adversariis; & Jansenio ipsi seu propter Martem Gallicum, seu propter privatas offensas, seu ex invidia inimicis. Hinc liquet quâ ratione apud Pseudo-Augustini Discipulos hæresis Jansenii nulla sit nisi imaginaria. Nunc accipe quâ ratione eam etiam ad entia rationis, & chymeras ablegent, ut locis pluribus eam vocat Autor libelli, cui titulus; *Le Phantome du Jansenisme, ou Justification des pretendus Jansenistes,*

stes, impressi 1686 : Hæretica esse nequit doctrina, quam Ecclesia contra hæreticos Catholicam definivit, ut definivit non semel de doctrina S. Augustini, cum quâ ad amussim convenit Augustinus Iprensis, adeòque hujus dogmata damnari non potuerunt, nisi eâdem censurâ involveretur doctrina Hipponensis. Hunc esse Jansenianæ protestationis, & chimericæ ut aiunt hæresios sensum frustrà pluribus probavero, cum eorum nullus id ausus fuerit, aut voluerit inficiari. Testimonium nihilominùs profero Neo-Augustinis irrefragabile D. de Bon-Lieu, subscribentibus sex magni inter suos nominis Theologis lib. de Gratia victrice pag. 10. 16. 19. 21. 22. ubi inter cætera de 5 propositionibus Jansenii monet, *discernendum esse earum sensum pravum à recto, in quo ab Illustrissimo Iprensium Antistite, & omnibus S. Augustini Discipulis traditæ sunt. Hoc sensu eas continere fidem Ecclesiæ, & veram de Christi gratia doctrinam, ab iis hoc sensu Jansenii acceptis recedi non posse, nisi incidendo in Pelagianorum, & Semipelagianorum errorem.* Libri illius Autor sub nomine D. de Bon-Lieu, ut fatetur D. Germain in sua Traditione Ecclesiæ Tom. 3. A. 1690. pag. 406 est Natalis de la Lane Abbas B. Mariæ de Valle Crescenti,

ti, Autor 5 articulorum, quos tanto ſtrepitu jactant hoc tempore Pſeudo-Auguſtiniani velut approbatos ab Alexandro VII, ſed quod falſitatis convicit nuper Joannes ab Iſſelſtyn; imò Cornelius à Cranebergh iſtorum Articulorum perfectam cum doctrina Janſenii convenientiam demonſtravit tam perſpicuè, tam ſolidè, ut nullus hactenùs repertus ſit, qui redarguerit, nec quidquam Cranebergio magìs in votis eſt, quam ut quis momenti alicujus diſcrimen utramque inter doctrinam exhibeat. Hunc ſuis laborem diſſuadet Autor libelli: *Queſtion curieuſe*, quia operæ pretium non eſt ejusmodi Theologis confutandis diſtrahi. Diſſuadeo & ego, quia illuſtrior doctrinam inter Janſenii, & Articulorum demonſtrata eſt conformitas, quàm ut poſſit ullis verborum offuciis obſcurari. Sed de hoc poſtmodum plura. Priuſquam Theologorum iſtorum fraudes haberem perſpectas, ingenuè fateor fuiſſe me in errorem inductum, quoties eorum quempiam aſſerentem audivi ſe Janſeniſtam non eſſe; Janſeniſtas nuſquam exiſtere, niſi in cerebro Jeſuitarum. Exiſtimabam ſcilicet eos hoc loquendi modo negare, quod Janſenii placitis conſentirent. Sic enim ſi quis Thomiſtam ſe Scotiſtamve neget

get aut Moliniſtam, omnes aliud non intelligimus, quam cum S. Thomæ, Scoti, aut Molinæ dogmatibus non adhærere. Nonne exploderetur ut ridiculus, nonne mentalis reſtrictionis, aut ſimilis mendacii arguatur Judaicarum opinionum ſectator, ſi ſimpliciter ſe Judæum negaverit, ſi aſſeruerit Judaiſmum eſſe merum phantaſma, nullos uſquam Judæos reperiri? At quid ſi Janſeniſtas imitatus ità ſecum ſtatuat; Judæi paſſim cenſentur homines impii, crudeles, injuſti, exotici nec ſanæ fidei. Ego licet Judaicas ceremonias, legem, & doctrinam ſequar non ſum impius crudelis, injuſtus, exoticus, & fidei non ſanæ, neque tales ſunt mei in fide ſocii; itaque neque Judæus ſum ego, nec ſunt alii. Similis eſt veſtra ratiocinatio, ſimilis in loquendo reſtrictio, & an non veri nominis mendacium? Alia enim quæſtio eſt, an dentur Janſeniſtæ, ſeu Janſenio in doctrina præſertim circa materiam 5 propoſitionum conſentientes, alia an illi ſint homines exotici, nec ſanæ fidei; ſicut alia eſt quæſtio an dentur Judæi, alia an Judæi ſint homines impii, crudeles, injuſti, & verâ fide deſtituti. Sed doloſum ejuſmodi Phantaſma Janſeniſtis, Palladio ſuo callidioribus, maximè opportunum eſt ad

fal-

fallendos incautos; ut non tantùm imperiti quò securiùs eò alacriùs hauriant virus Jansenianum, sed & Magistratus tum civiles, tum Ecclesiastici, grassantis hæresis ignari faciliùs sopiantur intereà dum inimicus homo zizania ubique disseminat, quibus tandem suffocetur triticum, & Belgium penè totum se Jansenianum serò admiretur.

Quapropter ad avertendam à charissimâ Patriâ perniciem prorsus duxi necessarium, detrahi Jansenianæ hæresi obductam phantasmatis larvam, detegi Pseudo-Augustinianorum frontes, ut inustum anathematis stigma palàm appareat, neque deinceps fraudulenti homines nisi cœcis aut decipi volentibus queant nocere. Ac primò quidem propositiones famosas integras quoad substantiam, & quodammodo absurdiùs in Jansenio reperiri ostendam tam evidenter ut nullus nisi ad insaniam usque pertinax ausus fuerit inficiari. 2. Evincam propositiones in sensu Pseudo-Augustini Iprensis esse hæreticas. 3. Probabo infelicem hunc Antistitem nactum esse sequaces tum Gallos tum Belgas ante & post condemnationem etiam hoc tempore; ex quo ni fallar consecutio ducetur necessaria & manifesta Jansenismum & Jansenianam hæresim non merè imaginariam

esse,

esse, sed reipsâ viguisse aliquando, nec etiamnum penitùs extinctam. Hanc meam operam Eximii, Reverendi admodùm Domini & cujuscumque alterius gradûs & ordinis Theologi, quorum expendi sententias, & inter Jansenistas nomina recenseri contigerit, æqui, ut confido bonique consuletis. Tam frequens enim, tam publica, tam præfidens provocatio, quâ ad instituendas adversus vos de Jansenismo accusationes quoscumque Theologos invitastis, impulistis, & penè coëgistis, non potuit non persuadere mihi aliisque idem fortè aggressuris hanc à vobis veniam dari, quin & gratum fore quod tanto tempore, tot Thesibus, tot libellis maximè nuper Doctrinæ Augustinianorum Theologorum expositione communi consensu editâ postulastis. Veniam ni fallor dat ipse Augustinus, hortatur nos, instigat ne nominibus vestris parcentes immiti vos misericordiâ perdamus, quos salubri reprehensione retrahi ab interitu oportuit, & in viam salutis reduci. Sermone 2. de verbis Apost. *Occultare*, inquit, *nolite: non sit in vobis perversa misericordia, prorsus ubi tales inveneritis nolite occultare, redarguite contradicentes & ad nos perducite.* Non occultabo sed contradicentes redarguam, & quoniam aliter corrigi non possunt, sæpiùs monitos denuntiabo Ecclesiæ.

CA-

CAPUT II.

Evidens fit propoſitionem primam ex quinque damnatis traditam eſſe à Janſenio, etiam quodammodò duriùs quàm in Bulla exprimatur.

NUſquam adverſariorum pervicacia, & adversùs Chriſti Vicarium rebellio elucet magis, quam cum aſſerere non verentur primam propoſitionem damnatam non eſſe Janſenii. Verba propoſitionis ſunt: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant.* Quid Janſenius? Lib. 3. de Grat. Chriſti cap 13. Col. 334; *Hæc igitur*, inquit, *omnia pleniſſimè planiſſimèque demonſtrant, nihil eſſe in S. Auguſtini doctrina certiùs ac fundatiùs, quàm eſſe præcepta quædam, quæ hominibns non tantùm infidelibus, excœcatis, & obduratis, ſed fidelibus quoque, & juſtis volentibus, conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires ſunt impoſſibilia, deeſſe quoque gratiam quâ fiant poſſibilia.*

Eſtne vel apex in propoſitione damnata, qui in Pſeudo-Auguſtini loco deſideretur? Quin imò quod propoſitio damnata tantùm ſim-

ſimpliciter ut verum aſſerit, in Janſenio traditur tamquam certum, atque adeò ut nihil ſit in S. Auguſtinì doctrina certius ac fundatius. Conſtat verò Janſenium ſimilibus loquendi modis indicare, non tantùm quid Hipponenſis docuerit, ſed quid ipſe tueatur, quod omnes S. Auguſtini Diſcipuli, & quicumque à Pelagio, & Semipelagianis alieni ſunt, ſentire teneantur. Quiſquamne adeò in Janſenio peregrinus eſt ut neſciat Janſenium ſe ubique Auguſtini Diſcipulum, & ſequacem profiteri?

Neque id in dubium vocant adverſarii, & ſi negarent, vel ex citato capite convinci poſſent, ubi eandem doctrinam tradit, & ut ſuam, & ut deductam ex Tridentino. Ubi enim hunc Tridentini locum adduxiſſet: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*; ſic concludit; "ex „hac indubitata doctrina quædam non parvi „momenti ad hanc rem ſpectantia inferun„tur, & clareſcunt. Primum; eſſe quædam „homini præcepta ſecundùm ſtatum, & vi„res in quibus conſtitutus eſt impoſſibi„lia ... 2. Non adeſſe ſemper gratiam, quâ „poſſimus; hoc eſt, quâ illa eadem præ„cepta implere ſufficiamus. 3. Hanc impo-

„tentiam reperiri non solùm inexcœcatis, „obduratìs, & infidelibus, ... sed etiam „fideles, & justi (dicere voluit fidelibus, „& justis) 4. Hanc impossibilitatem fideli-„bus accedere non tantùm quando noluit „præcepta facere, sed etiam quando vo-„lunt."

Quid igitur cavillationis Pseudo-Augustinianis superest, quo Magistri sui doctrinam vindicent à censura? D. de Saint Victor in libello cui titulus: *Le pretendu Ennemi de Dieu*, ab annis aliquot edito, ut præ se fert Insulis; vel potiùs Lovanii, ut cum aliis suspicatur Cardinalis de Aguirre, certè Lovanii palam divendito, ubi ejusmodi libellorum est colluvies. *Prima*, inquit, *propositio, quam Pontifices condemnarunt hæc est.* Aliqua Dei Præcepta, &c. *Cui Jansenius contradixit lib. 3. de Gra. Salv. cap.* 15. *Et si Alexander Pontifex dixerit contrarium malè instructus fuit.* Infrunitum os! hæc scilicet est submissio, hæc observantia, quam Jansenistæ simulant erga S. Sedem? Hanc *fidem dogmatibus*, hanc *facto* præstant *reverentiam*? Quo igitur taudem sensu Pontificum Constitutionibus subscribitis? Quomodò implacabiles aliàs restrictionum hostes solenne juramentum sine perjurio restringitis? Quid? Non

Non tantùm non docuit Janſenius primam ex 5 condemnatis, ſed ei penitùs contradixit, *Et ſi Alexander Pontifex dixerit contrarium*, ut dixit diſertiſſimè, & loco non uno *erravit?* Talpas nos omnes credit hic Autor, aut ſtipites, qui verborum omnium, & totius ſententiæ conſonantiam, quâ nulla dari queat perfectior in præfati libri capite non videamus, non palpemus.

Sed quoniam adverſarius Janſenii Auguſtinum lib. 3. de Grat. Salv. c. 15 adire nos jubet, aliud hìc non reperio quam juſtos habere 1. liberum arbitrium, ſeu potentiam naturalem. 2. fidem, 3. gratiam habitualem, quæ eſt potentia remota & incompleta. Sed habenti ejuſmodi remotam poteſtatem in promptu non eſt adjutorium proximè ſufficiens ſibi comparare.

Imò verò ad *obſtruendum os loquentium iniqua*, & arguentium erroris Alexandrum VII, dico Janſenium non qualemcumque adſtruxiſ- impoſſibilitatem, qualis intelligi poſſet moralis, ſed etiam Phyſicam.

Libro 2. de Grat. Salv. c. 1. Col. 81: *Cujus*, inquit, *medicinali gratiâ, & adjutorio niſi vires priſtinæ reſtaurentur, tam eſt impoſſibile voluntati, ut benè velit, & operetur, quàm homini cæco, ut videat, vel ſurdo ut audiat, vel*

 ti-

tibiis fracto, ut rectè gradiatur, quamvis eis, & lux, & species, & scipiones, & omnia cætera sanitatis adjumenta suppetant.

Atqui justus dum præceptum non servat, destitutus est medicinali Christi gratiâ in sententia Jansenii, alioqui enim infallibiliter præceptum impleret, & impossibilitas in allatis exemplis, quâ suam Jansenius non patitur dici minorem, est non tantùm moralis, sed physica.

Ergò asserta à Jansenio præceptorum impossibilitas non merè moralis, sed Physica intelligenda est.

Quid Paulus Irenæus? in Editione Coloniensi A. 1682. pag. 171. *Verba*, inquit, *primæ propositionis damnatæ habet Jansenius loco citato scilicet lib. 3. de grat. Salv. c. 13. sed sensum illius damnatum non.* Quid facias istis hominibus, qui Alexandri VII mentem meliùs, quàm ipse idem Pontifex habent perspectam? Testatur is Constitutione *ad sacram.* Anno 1656 se damnare propositionem in sensu Jansenii; Pergunt tamen Augustini Discipuli confidenter asserere propositionem quidem Jansenii esse, sed alio sensu à Pontifice condemnatam. Probat verò adversarius cavillationem suam; *quia locus*, inquit, *Jansenii ex circumjectis, & annexis ad eum sensum alli-*

alligatur, qui nihil contineat præter vulgatam Thomisticam doctrinam toti Ecclesiæ, præcipuè verò Summo Pontifici probatam.

Verùm Thomistas ab his Jansenistarum calumniis pridem vindicarunt alii, etiam nuper Cornelius à Cranebergh & Didacus de Oropega. Si plura desiderent Neo-Augustiniani adeant modò Eximium P. Martinum Harney ex Ord. S. Dominici in Academiâ Lovaniensi S. T. Doctorem; rogare cum non graventur an sensus Jansenii circà Propositionem primam sit idem qui Thomistarum omnium. Responsum nî fallar referent non minùs didacticum quàm breve, *Thomistas genuinos ab eo sensu abesse quam longissimè.*

Ut Paulus Irenæus propositionem primam sub Thomistarum, ità F. Eugenius de Gelder in damnato libello: *Ultima vox*, &c. edito anno 1689 eam sub Magni P. Augustini umbrâ à fulgure vaticano ictam quidem, sed non prostratam, imò ut Catholicissimam defendit pag. 31. *Quod Alexand. VII*, inquit, *fuerit deceptus ex eo constat quòd liber Jansenii numquam Romæ ritè fuerit examinatus, & quod 1. Propositio à quâ cæteræ etiam fatentibus Jesuitis dependent, quæ sola in ipsius Augustino in proprii terminis est invenibilis desumpta ex cap. 13. lib. 3. de grat. Salv. secundùm principia indubi-*

tata doctinæ Augustinianæ ab Ecclesiâ consecratæ, ad quam juxtà omnes suas particulas ibidem expressè reducitur, est Catholicissima juxtà declarationem Eminentiss. Cardinalis à S. Clemente, &c. Quid mirum quod purpuratum Ecclesiæ Patrem collocare non erubescat in Jansenistarum Collegio cui Doctorum Aquilam Augustinum præfecerit? Non minor quàm F. Eugenii ergà S. Sedem est reverentia istius Theologi, qui sub nomine Lucæ Veronensis Lovanii Strenam, ut vocat, veritatis evulgavit anno 1680 pag. 49. *Nulla*, inquit, *ex quinque Propositionibus hactenùs ostendi potuit in Jansenio nisi prima, quæ capite caudâque avulsis, aliter planè, quàm in libro sonat.* Ad quod respondeo non aliter sonare propositionem Jansenianam in constitutionibus Pontificiis, quàm in libro Jansenii, nisi quòd ea, quæ Propositionem in dicto libro circumstant, illam multò reddant duriorem, & Catholicæ interpretationis minùs patientem.

CAPUT III.

Demonstratur Jansenium docuisse secundam propositionem inter 5. damnatas, imò ejus doctrinam plus absurdi continere quam præ se ferat proscripta propositio à textu avulsa.

SEcundam propositionem Jansenio attribui non patitur sincera ac tenera nimium conscientia Jansenistarum, inter quos D. de Saint Victor pag. 14. pio quodam horrore perculsus & in adversariis suis calumniandi libidinem miratus exclamat; *quâ conscientiâ hic error imponitur Iprensium Antistiti, qui oppositum expressis terminis docet; lib. 8. de Grat. Salvatoris c. 2. §. 3.!* Frustrà Alexandri VII. declarationem, frustrà, octoginta & amplius Episcoporum testimonia objicis. Nam Paulus Irenæus in suâ hæresi fictitiâ disquisitione 6. sub finem; *confidenter*, inquit, *quià verè asserendum quamlibet multis Episcoporum, summique Pontificis decretis definiatur propositiones esse in Jansenio, nulla ab eruditis impetrabitur fides.* Non minùs confidenter pronuntiat Lu-

cas

cas Veronensis, aliàs Lovaniensis in Strenâ veritatis pag. 49. *Si Pontifex illas viderit in opere Jansenii, viderit certè in exemplari eum ob finem corrupto. Idem debet esse judicium de propositionibus Baio attributis & earum defensoribus non nisi Augustinum & veritatem sonantibus.* Undè concludit: *hæreses Baianæ & Jansenianæ optimè vocantur imaginariæ.* Rursus de Saint Victor; *qui accusantur Jansenismi & hæresios possuntne esse Jansenistæ & heretici, cum Jansenius nullam docuerit hæresim?*

Quis igitur litem dirimet si Theologis orthodoxis assererentibus propositionem esse Jansenii, id definientibus Romanis Pontificibus Jansenistæ in pervicaciâ persistant?

Respondet D. de Saint Victor pag. 29. *Si scire cupis an propositiones damnatæ à Pontificibus reperiantur in Jansenio. . . . . nihil est quod te magis certum faciat quàm oculi proprii. Non sunt primæ vices, quibus maligni circumvenerunt Pontifices Romanos.*

Similiter oculorum usu & experientiâ non aliis judicibus stare decrevit Lucas Veronensis pag. 49. sic alloquens Innocentium X. & Alexand. VII. Romanos Pontifices. *Si in Jansenio reperiantur* propositiones illæ, ut in constitutionibus vestris decernitis *in Jansenio ostendantur.* Per me licet, oculos consulamus,

con-

conferamus propositionis damnatæ verba cum verbis Jansenii, per me non stabit quin Jansenius dicatur innoxius, si eandem ubique sententiam non demonstravero. Propositionis damnatæ verba sunt: *Gratiæ interiori in statu naturæ lapsæ numquam resistitur.* Jansenius lib. 2. de Grat. Christi c. 24. col. 200. sic ait: *Gratiam Dei Augustinus ita victricem statuit suprà voluntatis arbitrium, ut non rarò dicat hominem operanti Deo per gratiam non posse resistere,* adeoque numquam resistere.

Quoties dicit medicinalem Christi gratiam numquam frustrari suo effectu sed infalliblliter & insuperabiliter eum obtinere! Ne verò existimes non hîc agi de quâlibet gratiâ, toto illo lib. pugnat nullam aliam dari Christi gratiam, quàm victricem. Cap. 1. hunc titulum præfigit: *Tangitur natura adjutorii sufficientis & ostenditur nullum dari post lapsum quin simul efficax sit.*

Instat equidem Paulus Irenæus editionis anni 1682 pag. 173. disp. 6. a. 3. *Verba ipsa secundæ Propositionis non sunt in Jansenio.*

Quid si essent magisne te ergà constitutiones Apostolicas reverentem exhiberes? Verba propositionis primæ in Jansenio conspiciuntur nec tamen dubitas damnatum ei sensum abrogare. Sic enim disq. 6. a. 2. pag, 171

171 ejuſdem editionis per inſignem Sedis Apoſtolicæ contemptum ais: *Verba primæ propoſitionis damnatæ habet Janſenius loco citato, ſed ſenſum illius damnatum non habet.* Sed etſi alia editio mulierem, alia fæminam, cætera verò planè eadem complectatur, quid ad rem facit ejuſmodi diſcrimen merè materiale? Non enim eadem eſſe Janſenii & propoſitionum damnatarum verba, ſed ſenſum eundem eſſe definivit Chriſti Vicarius. Denique quale illud eſt verborum diſcrimen? Propoſitio famoſa dicit gratiæ in hoc ſtatu *Numquam reſiſti*; Janſenius *reſiſti non poſſe*; niſi quod Janſenii propoſitio omne illud quod eſt in propoſitione famoſâ contineat, & quid præterea amplius magis abſurdum. Illa enim actum tantummodo negat, hæc actum & ſimul potentiam. Sed quid ad §. 3. c. 2. lib. 8. ad quem provocat de Saint Victor? Teneo locum quem integrum refero: *Prædeterminatio phyſica talis eſſe dicitur, ut in quibuſcumque circumſtantiis voluntas collocetur, ſemper faciat facere & operetur effectum ſuum, omnemque ſuperet reſiſtentiam: Chriſti adjutorium nullo modo; nam delectatio victrix quæ Auguſtino eſt efficax adjutorium, relativa eſt. Eſt victrix quando alteram ſuperat; quod ſi contingat alteram ardentiorem eſſe in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus, nec efficaciter*

ur-

umquam volet, quod volendum est. Atque hoc est discrimen tertium quod Iprensis suam inter victricem gratiam, & prædeterminantem constituit. Næ hic locus Jesuitis, Galliæ Episcopis, Universitatibus Catholicis, Cardinalibus, Pontificibus fatalis est; eorumque in adscribendâ Jansenio propositione secundâ errorem detegit & omnium vel latina verba intelligentium oculis exponit manifestè! nisi asserere malueris Jansenium sibi contradixisse, aliter locutum lib. 2. ex quo propositio desumpta est, aliter lib. 8. cujus verba jam retuli.

Contradictionem adstruere non est necesse utrumque locum attentè consideranti. Sed neque Pontifices in erroris suspicionem vocabit, quisquis non præoccupatus partium studio, non excœcatus passione ad antecedentia & consequentia, ad circumstantias, ad totius operis scopum, & expressionem sententiæ attenderit. Cum dicit lib. 2. omnem Christi gratiam effectum sortiri, nulli posse resisti, aliud non vult quam gratiam omnem, quæ ex Christi meritis in statu naturæ lapsæ confertur, consequi omnem effectum cujus in his circumstantiis capax est, sic ut in voluntatis creatæ potestate non sit effectum ejus imminuere vel augere. Vel enim æqualis adest concupiscentiæ delectatio, vel minor, vel ma-

major : ſi minor non erit in poteſtate voluntatis gratiæ diſſentire, ſi æqualis fuerit, hærebit in æquilibrio ſuſpenſa, ſic ut neutram in partem ſe queat inflectere ; denique ſi concupiſcentia fuerit ardentior, inſuperabiliter rapit voluntatem ; non tamen gratiæ reſiſtitur. Quis enim gratiæ dicat reſiſtere eum, qui quantum poteſt gratiæ cooperatur, ejuſque omni efficaciæ & movendi virtuti obſequitur. Neque ut gratia ſortiri dicatur omnem ſuum effectum, neceſſe eſt ut obtineat effectum omnem, ad quem movet, ſi non moveat ſufficienter.

Advertit hoc Janſenius & de eo nos monitos voluit lib. 2. de grat. Chriſt. c.27. col. 210. dicens : *Neque verò moveat quemquam, quod conſtet multos diuinitùs mente colluſtrari, imò verò & in ipſâ voluntate motibus divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus internâ ſuaſione & inclinatione diſſentiunt, ut propterea ſalſum putet gratiam in eo cui datur, ſemper operari.* Cujus rationem reddit, quia cum gratia non ſit ſufficiens reſpectu omnis effectûs ad quem excitat, ut omnis gratia ſit efficax, ut nulli reſiſtatur, ſufficit quod obtineat effectum omnem, quem hîc & nunc poteſt, & ad quem à Deo datur.

Alterum Pauli Irenæi effugium eſt, verbis

Jan-

Jansenii non contineri sensum condemnatum, cum alium non contineant quam Thomisticum, Orthodoxa videlicet est Thomistarum sententia, qui docent efficaci gratiæ numquam resisti, sufficienti verò, quando sola est, semper resisti respectu ultimi videlicet effectûs ad quem excitat. Hanc ipsam tamen gratiam, quam sufficientem vocant, esse secundùm quid efficacem, & numquam carere eo effectu ad quem divinâ voluntate ordinatur. Sic enim omnes Thomistæ. Hunc & non alium esse clamat sensum conclusionum propter quas Jansenius arguitur. Si autem Thomistis omnibus ut Irenæus jactat, Jansenius consentiat, quis ejus sensum fulguritum esse existimet? At de resistentia Gratiæ Jansenianæ & Thomisticæ, de manifesto inter utramque discrimine consuli possunt Doctor Parisiensis in nuperis observationibus circa V. articulos, Cranebergius, Oropega, &c.

CAPUT IV.

Tertia Propositio excerpta est ex Jansenio & in Pseudo-Augustino duriùs exprimitur quàm in Decretis Pontificum, ubi à textu suo avulsa est.

VErba propositionis damnatæ sunt: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate sed sufficit libertas à coactione.*

Propositionem tradit Jansenius lib. 6. de Grat. Christi toto cap. 6. ut ex ejus titulo liquet: *Duplex, inquit, necessitas Augustino, coactionis, & simplex seu voluntaria. Illa, non hæc repugnat liberati.* In ipso capite: *Nescio quid manifestius, urgentiusque proferri posset ad demonstrandam volitionis cujusque libertatem, etiam illius, quam nos habere necesse est.*

Col. 635. *Eadem illa doctrina, quod sola necessitas coactionis adimat libertatem, non necessitas illa simplex, & voluntaria ex aliis ejus* (Augustini) *locis demonstrari potest.*

Lib. 8. de Grat. Christi c. 19. Col. 869. *Nulla gratiæ efficacia, nulla necessitas actibus vo-*

voluntatis liberis formidanda est, sed sola coactio, & necessitas violentiæ.

Cap. 20. Col. 871. *In nobis non solùm ipsa potentia voluntatis, quæ de se ad malum flexibilis est, sed & pondus ad peccandum remanet, quod est peccandi potestas perfectissima.* Adeoque non requiritur libertas â necessitate, sed sufficit libertas â coactione, quæ libertas est inseparabilis â voluntate sequente ductum concupiscentiæ. Voluntas enim nequit adigi violentiâ, ut omnes fatentur: Col. 870. dicit *inductam esse peccandi necessitatem.*

Agi verò iis locis de statu naturæ lapsæ evidens est: agitur enim de necessitate, quam voluntati juxtà Jansenium in statu naturæ lapsæ infert victrix delectatio cum cælestis, tum terrena, prout hanc aut illam contigerit alterâ esse ardentiorem, juxtà illud toties à Jansenio decantatum & perperam intellectum: *Quod ampliùs nos delectàt, secundùm id operemur necesse est*; Quod in naturâ lapsâ potiùs, quàm in integrâ locum habet ex Jansenii sententiâ, cum voluntas integra eâ polleret facultate, quâ posset se ipsam ad bonum determinare excitata per gratiam, non prædeterminata, neque ullâ tentatione abriperetur, licet gratia tantùm adfuisset Molinistica, quæ isti statui abundè sufficiebat.

Cur dubites quin egerit de libertate ad meritum & demeritum sufficiente? Nam agit de libertate, quæ in actibus nostris moralibus & humanis, tum bonis, tum malis reperitur, quæque si ad merendum & demerendum non sufficeret, jam nulla nostra actio in hoc statu meritoria foret vel demeritoria, cum nunc juxtà Jansenium non sit prædita libertate aliâ propriè dictâ, quæ ad meritum vel demeritum queat sufficere, cum libertatem, quam Theologi vocant indifferentiæ, procul ab hoc statu jusserit exulare.

Vociferantur hîc omnes Jansenii defensores cum Paulo Irenæo disq. 6. pag. 189. Jansenium admisisse indifferentiam in hoc statu. Imò recens Palladius in Spongia adversùs Notas Eximii D. Martini Steyaert pag. 28. *Tantum abest*, inquit, *ut*, *quæ ex S. Thomâ & aliis antiquis Scholasticis de libertate coactionis experte & necessitate naturali adduxit, in hoc statu naturæ lapsæ locum habere voluerit, ut contrarium asseruerit tamquam fide Catholicâ tenendum in hoc ipso libro (6.) de Grat. Christi Salv. c. 34.*

Respondeo agnovisse quidem Jansenium loco citato præter libertatem à coactione quandam flexibilitatem, mutabilitatem, & voluntariam arbitrii vicissitudinem in statu na-

turæ

turæ lapſæ ; quæ viciſſitudo neque in Deo reperitur, neque in Beatis circà Bonum, neque in damnatis circà malum, ſed in hominibus viatoribus, quia neque gratia naturæ lapſæ victrix datur ſemper, neque ſemper negatur; quam voluntatis mutabilitatem vocat indifferentiam quandam contradictionis & contrarietatis ut cum Thomiſtis loqui ſaltem videatur. Verùm hanc flexibilitatem modò nemo ad libertatem dixerit ſufficere.

Quærere etiam liceat ex Adverſariis ubinam Janſenius indifferentiam illam tamquam neceſſariam requiſiverit ſive in naturâ ſtante, ſive in lapſâ. Agnovit eam flexibilitatem, ſed uti eam non admiſit tamquam neceſſariam ad libertatem, ità neque ad meritum vel demeritum.

Ex dictis invictè concluditur Janſenium non tantum tradidiſſe doctrinam propoſitionis, ſed eam modo ſuſtinuiſſe magis deteſtabili, quàm propoſitio ſecundùm ſe exprimat ut à textu avulſa. De eâ enim ut avulſâ dubitaret fortè quis an agat de neceſſitate phyſicâ, an de morali tantùm. Janſenium conſtat agere de neceſſitate phyſicâ, cum deſtitutus gratiâ medicinali, quâ deſtituuntur omnes, qui peccant, juxtà ipſum, non magis peccato

 ab-

abstinere possit, quo demeretur, quam possit orbatus oculis videre, surdus audire, fractis cruribus currere; neque minùs efficaciter, insuperabiliter, indeclinabiliter agit victrix gratia, quàm victrix concupiscentia. Igitur & juxta Jansenium infert necessitatem physicam.

Præterea propositio merè secundùm se non dicit necessitatem illam in omnibus actibus hominis lapsi meritoriis & demeritoriis reperiri: Statuit verò Jansenius. Igitur juxtà Pseudo-Augustinum ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à simplici necessitate, seu libertas indifferentiæ opposita, sed sufficit libertas à coactione.

Sub coactione & violentiâ comprehendit motus primò primos & actus omnes indeliberatos, quia hos in nobis esse contingit etiam renitente voluntate. Lib. 6. de Grat. Salv. cap. 6. col. 723. Igitur ad libertatem actus humani & moralis sufficit ut fiat ex judicio rationis, & deliberatè, cum quo consistit simplex necessitas opposita libertati indifferentiæ. Respondendum nunc est ad cavillationes Jansenistarum reliquas.

D. de Saint Victor pag. 14. certum verò est, inquit, quod hæc propositio numquam à Jan-

Jansenio tradita fuerit eo sensu, quo censurata est à Pontifice, cum oppositum docuerit hic Antistes. Lib. 6. de Grat. Christi c. 34.

Propositionem Jansenii esse jam ostensum est; neque negat adversarius aliquo sensu in Iprensi Augustino contineri. Ego Pontifici melius mentem suam perspectam fuisse malo credere, quàm Jansenistæ temerè & stultè divinanti.

Adeamus lib. 6. c. 34. in quo Jansenius oppositum sensui censurato docuerit. Verba percipua, propter quæ adversarii eum absolvunt, habet hæc col. 715. *Hominum igitur viatorum non solum coactionis expertem esse libertatem, sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ, hoc est ad utrumque indifferentem esse.*

Respondet Eximus D. Martinus Steyaert S. T. D. & strictioris, ut vocant, facultatis membrum Lovanii, qui dum Jansenio bellum indicit in notis circà 5 Propositiones notâ 8. §. 3. observat quod quamvis in sententiâ Jansenii sit in homine viatore libertas à necessitate, reus tamen sit propositionis 3. ubi admittit quod tametsi non esset in homine viatore libertas à necessitate, nihilominus is mereri & demereri posset, quia scilicet cum necessitate consistit sufficiens libertas ad meren-

rendum & demerendum in statu naturæ lapsæ. Sic enim Jansenius lib. 6. de Grat. Salv. c. 36. in fine: *Cæteras*, inquit, *humanæ vitæ actiones* (deliberatas omnes viatorum) *quamvis etiam juxtà tradita jam Augustini principia sine indifferentiâ nihil vetaret esse liberas* libertate sufficiente admerendum & demerendum, *reipsâ tamen non solum sine violentia, sed & cum quadam indifferentia contradictionis, imò contrarietatis.... fieri credimus.*

Ego quidem etsi non inficior propositionis damnatæ meritò arguendum Iprensem, quamvis docuisset reverà omnes actiones deliberatas viatorum esse liberas à necessitate etiam simplici, quia simul consistit quempiam admittere in omnibus nostris deliberatis actibus libertatem à necessitate, & simul asserere quod etiamsi ejusmodi libertas abesset, nihilominùs essent meritorii vel demeritorii.

In hoc tamen viro eximio consentire non possum, ut asseram Jansenium docuisse quod in omnibus actibus nostris deliberatis meritoriis & demeritoriis detur vera libertas à necessitate simplici ut opponitur libertati indifferentiæ; imò ubi opus fuerit evincam, Jansenium usque adeò libertatis inimicum fuisse ut eam in statu naturæ lapsæ ex omni-

bus

bus omninò actibus deliberatis viatorum seu meritoriis seu demeritoriis eliminaverit.

CAPUT V.

Propositio IV. reperitur in Jansenio, & manifestæ falsitatis convincitur excusatio Jansenistarum quasi eorum Magister tantum rejecisset gratiam efficacem, ut aiunt, versatilem Molinæ.

Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici quod vellent eam gratiam esse talem cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare: Verba sunt propositionis condemnatæ. Cum his conferantur quæ habet Jansenius lib. 8. de hæresi Pelagianâ c. 6. col. 462. *in hoc ergò*, inquit, *propriè Massiliensium error situs est, quod aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo sicut Adam si voluisset poterat perseveranter operari bonum, ità lapsus homo credere posset si vellet, neuter tamen absque interioris gratiæ adjutorio, cujus usus vel abusus relictus esset in uniuscujusque arbitrio & potestate.* Paria tradit lib. 2. de Grat. Salv. c. 4. 5. 12. 15. 21 25.

Ni-

Nihilominus D. de Saint Victor more ſuo inverecundè aſſerit pag. 20. tantum abeſt Illuſtriſſimum Iprenſem tradidiſſe propoſitionem hanc, ut illi oppoſitum doceat lib. 8. de Grat. Salv. cap. 21. §. SECUNDUM EST: *Calvinus docet, inquit Janſenius, gratiam ità movere hominem ut non ſit ei liberum reſiſtere: ſic enim loquitur: voluntatem Deus movet non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum, ut noſtræ poſteà ſit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari. Auguſtino verò Deus ità movet ut quamvis infallibiliter convertatur & operetur poſſit tamen motioni Dei refragari aut obtemperare, ſeu ut Concilium Tridentinum, illi diſſentire ſi velit. Potentia quippe diſſentiendi non repugnat actuali gratiæ motioni & conſenſui, quamvis* (quod à Janſenii defenſore prætermiſſum eſt) *fieri nequeat ut actualis diſſenſus cum actuali Dei motione jungatur.*

Non reſpondebo, quod nonnulli, neſcio quâ verborum obſcuritate decepti, Janſenium ſibi contradixiſſe, tradidiſſe propoſitionem damnatam lib. 8. de hæreſi Pelagiana c. 6. Oppoſitum verò lib. 8. de Grat. Salv. c.21. Quamvis cum erroneis & hæreticis dogmatibus ſcatere compertum ſit, contradictionis tamen redargui poſſe nuſquam deprehendi. Nimis multorum illud annorum opus eſt, nimis

nimis maturâ deliberatione exaratum, ut sui uspiam Autor obliviscatur. Emollit subindè locutionibus communiter receptis, at non communi sensu intellectis præcedentium sententiarum duritiem, quod cum Pelagio aliisque hæresiarchis ei commune est, ut cum novum & periculosum dogma protruserit, damnationis sententiam evadat, dum difficiliùs de vero sensu convincitur, qui alibi quæstionem eandem decidere videtur Catholicè.

Locus igitur Jansenii lib. 8. de Gratiâ Salv. cap. 21. sic explanandus est secundùm tradita ab eo principia, quæ etiam deinceps confirmavit. Ità Deus movet, ut possit homo motioni Dei refragari, aut obtemperare, non quidem potentiâ proximâ, ut communiter Thomistæ; multò minus completâ, ut ex Thomistis loquuntur non pauci, sed remotâ tantùm; neque sic remotâ ut in creaturæ potestate sit accipere proximam, sed possit gratiæ inefficaci consentire & cum eâ agere opus præceptum, vel peccatum vitare, sicut fractis crucibus potest quis currere, orbatus oculis videre, surdus audire, ut expresse docet Jansenius lib. 2. de Gratia Salv. c. 1. col. 81. Neque aliter potest dissentire gratiæ efficaci; non enim minus efficaciæ inest dele-
cta-

ctationi cælesti & victrici ut insuperabiliter & indeclinabiliter rapiat voluntatem ad bonum, quàm concupiscentiæ terrenæ delectationi victrici ut pelliciat ad malum, & ab honesto retrahat.

Eodem sensu intelligit Jansenius illud Tridentini : *Potest voluntas motioni Dei dissentire, si velit*; sed velle non potest, nisi potentiâ remotâ & minimè sufficiente, qualis est audiendi in surdo, videndi in cæco, currendi in eo, cui crus utrumque confractum est. Quodnam luculentius testimonium desideres negatæ à Jansenio gratiæ inefficacis & sufficientis, quàm quod immediatè Jansenius subdit verbis à D. de Saint Victor allegatis? *Quamvis*, inquit, *fieri nequeat ut actualis dissensus cum actuali Dei motione jungatur*: Adeoque neque in statu naturæ lapsæ gratiæ umquam resistitur sensu Catholico, si Jansenio credimus, in cujus principiis, neque potentia dissentiendi proxima & completa, ut jam aliquoties ostensum est, cum efficaci gratiâ componitur.

Pag. 22. ait D. de Saint Victor Jansenium locis ex quibus desumpta est propositio ut Pontifici censuranda offerretur, censuisse in eo situm fuisse Semi-Pelagianorum errorem, quod existimarent gratiam per se efficacem

non

non esse ad initium fidei necessariam, sed solâ opus esse quâdam sensu Molinistico sufficiente.

Respondeo Jansenium in hoc reprehendisse Semipelagianos, quos falsò refert requisivisse gratiam internam ad initium fidei, quod non requirerent gratiam necessitantem sive tam invictè trahentem, ut voluntatem victrici ejus delectationi obtemperare necesse sit, juxtà illud Jansenii; *quod ampliùs nos delectat* (delectatione indeliberatâ, seu gratiæ seu concupiscentiæ) *secundùm id operemur necesse est*. Undè gratiam non modo sensu Molinistico, sed Theologorum communi & maximè Catholico sufficientem, ut in 1. 2. 3. propositione, ità & hîc voluit eliminatam.

Proptereà, inquit, D. de Saint Victor in crimen vocatus est Jansenius ab iis qui V. Propositiones compilarunt, sed numquam à SS. Patribus & præsertìm Augustini sectatoribus damnabitur.

Respondeo. Negatio gratiæ inefficacis, assertio gratiæ & concupiscentiæ necessitantis, Jansenii doctrinam anathemati subjecere.

Hæc nihilominus semper placitura Pseudo-Augustini sectatoribus facilè credo, dum eorum pervicaciam tot mihi signis exploratissi-

mam considero. Sitne Jansenius reprehensione dignus propter doctrinam hæreticam, nondum discutio.

Palladius in spongiâ notarum c. 6. pag. 18. *De quartâ*, inquit, *propositione quatenus hæresios damnata est prorsus hic silet Schedulæ Scriptor* (Martinus Steyaert) *verbulo contentus, quod obiter dum in secundæ examine versaretur, intexuerat; propterea scilicet Jansenio tributam esse, quia resisti posse gratiæ negat: sed cum suprà viderimus quam id minimè probaverit, sequitur in hac quartâ itidem ab eo nihil probari.* Defensione meâ non eget Eximius D. Martinus Steyaert. Cæterum quod Jansenius doceat gratiæ interiori in statu naturæ lapsæ numquam resisti, imò nec resisti posse à me ostensum est ex verbis Jansenii fideliter citatis ad propositionem secundam.

Paulus Irenæus disquis. 6. pag. 206. concedit quartam propositionem Jansenii esse, sed negat Jansenii sensu condemnatam. *Nec in verbis*, inquit, *Jansenii quidquam reprehendendum, quia Augustiniana sunt, nec in sensu, quia fatetur gratiæ etiam efficaci resisti posse*, addere potuisset etiam resisti; at quemadmodum lapis resistit impetui, quo pellitur uel projicitur, non quod gratiæ efficacis vim homo valeat infringere, ei dissentire potentiâ antecedente proxi-

mâ

mâ & expeditâ. Non esse quoque Augustiniana verba evidens est conferenti verba Jansenii lib. 8. de hæresi Pelagianâ c. 6. cum his, quæ Adversarius ex Augustino citat lib. de Correptione & Gratiâ c. 11. ubi aliud non dicit quàm *Adamum accepisse, quod deséreret cum vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret ut vellet.* Ibid. de Gratiâ naturæ lapsæ; *si in tanta infirmitate vitæ hujus ipsis relinqueretur voluntas sua ut vellent, inter tot & tantas tentationes, voluntas ipsa succumberet. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ ut divinâ gratiâ insuperabiliter & indeclinabiliter ageretur.*

Verba hæc eadem non esse cum iis Jansenii ex quibus propositio decerpta est, tantùm oculis opus est ut deprehendas. Neque eundem sensum esse omnes exceptis Jansenistis agnoscunt. Quamvis quis determinatè verborum sensus sit disceptetur in Scholis, aliis ità intelligentibus ut in statu naturæ integræ non fuerit necessariò auxilium actuale in voluntate; nunc autem requiratur necessariò, contendentibus aliis agnitam fuisse ab Augustino necessitatem gratiæ in voluntate sed nunc concedi & necessariam esse robustiorem ad superandam concupiscentiam à bono retrahentem, & ad malum assiduè impellentem.

Modò gratiam non adſtruxeris neceſſitantem cum Janſenio, neque rejeceris verè ſufficientem, non repugnabo, quemcumque Auguſtini verbis ſenſum tribueris.

Hæretica inquit Paulus Irenæus erunt verba propoſitionis damnatæ & Janſenianæ ſi ſic accipiantur *errabant Maſſilienſes quod dicerent gratiâ non neceſſitari voluntatem & diſſentiendi poteſtatem ab eâ non auferri.* Atqui Janſenium adſtruxiſſe gratiam neceſſitantem patet ex dictis ad propoſitionem 3. adeoque non veram, non proximam, non expeditam poteſtatem relinquit. Pag. 209. 210. 211. & ſæpe alibi dicit Paulus Irenæus quod *Janſenius ſolam gratiam verſatilem Molinianam rejiciat.* Profectò nullus hoc præter Janſeniſtas affirmarit. Cum enim in ſenſu Janſenii damnata ſit propoſitio, ſequeretur Molinianam gratiam negari non poſſe ſub pœnâ anathematis.

Si nihilominus Janſeniſtæ pergant Iprenſem ſoli Molinæ opponere, quæro ex eis an eorum Magiſter uſquam admiſerit gratiam efficacem illorum Scotiſtarum, qui rejectâ prædeterminatione phyſicâ gratiæ efficaciam conſtituunt in congruitate cum ingenio ejus, qui vocatur & in decreto Dei non antecedente, ſed concomitante, ſic ut præſcindendo à Decreto Dei poſſit hæc gratia efficax

Aſ-

componi cum diſſenſu, etiam ſtantibus iiſdem diſpoſitionibus ſubjecti.

Aſſeruitne umquam Janſenius; aut potuitne ſaltem admittere, gratiam efficacem, quæ quia datur illo tempore, illo loco, & ceteris circumſtantiis obtinet effectum, ſic tamen ut omnibus illis poſitis & eâdem ſubjecti diſpoſitione, abſtrahendo â Dei præſcientiâ poſſit gratia eſſe ſine effectu? Quam ſententiam amplexus eſt Alexander Peſantius Romanus S. T. & utriuſque juris Doctor in ſuis commentariis in univerſam Theologiam approbatis à S. R. inquiſitione & dicatis Paulo V Pontifici. In 1. 2. q. 111. diſp. 4. ubi rejicit ſententiam Vegæ & Waldenſis docentium gratiam efficacem ab effectu dici, ſic ut illa quæ non habet effectum ſit ſufficiens, quæ habet effectum, efficax. Quod verò interdum gratia habeat effectum, interdum non habeat, non oriri ex gratiâ ſed ex libero arbitrio, quod gratiæ vult conſentire vel non conſentire.

Nonne Janſenianæ gratiæ efficacia pugnat cum illâ, quæ conſiſtit in multitudine tot gratiarum, ut quamvis ſingulæ poſſint etiam moraliter carere effectu, non poſſint tamen ſimul omnes? Pro hac paſſim citant Henricum à S. Ignatio, Soncinatem, Capreolum,

 Fer-

Ferrarienſem, Verdu, Joſephum de Vitâ: Ex Societate Jeſu Marianam, Henriquez, Pererium, Bellarminum, Typhanium & alios. Conſiſtitne cum efficaciâ Janſeniana auxilium quod ſtatuit Eximius D. Mart. Steyaert poſt R.. P. Everardum Hocquium Societatis Jeſu S. T. Profeſſorem, ac dein Provincialem, cujus diſcipulus P. Jacobus Platel tom. 2. num. 587. ſic refert ut conſiſtat in quâdam vi voluntatem ità alliciendi aut impellendi, ut moraliter eam prædeterminet, & velut neceſſitet. Quemadmodum vir ſapiens dignitate ſeculari aut Eccleſiaſticâ præfulgens per cogitationem honeſtatis ſuam dignitatem decentis, aut turpitudinis eam dedecentis efficaciter determinatur & moraliter neceſſitatur ad non exercendas in templo, foro, aut alio loco publico ineptias pueriles, ſcurriles, aliaque ſtatum ſuum minùs dedecentia.

At fortè cum Thomiſtis pacem habuit Janſenius. Balthazar Navarette ad quæſt. 19. a. 8. p. 1. controv. 20. ità explicat efficaciam gratiæ, ut illo inſtanti quo confertur, ſit in poteſtate voluntatis ei reſiſtere; at, ſi non reſiſtat, ait, gratiam vim ſuam exercere & infallibiliter determinare, ſic ut determinatio gratiæ poſterior ſit negatione reſiſtentiæ ad

quam.

quam creatura illo instanti, quo gratiam recipit, est proximè expedita.

Placuitne Jansenio, aut placere potuit sententia illorum Thomistarum, qui gratiæ prædeterminantis infallibilem efficaciam ponunt in connexione illius gratiæ cum decreto divino efficace non verò in dispositione subjecti, aut gratiæ naturâ, aut utraque simul? Delectatio gratiæ ardentior delectatione concupiscentiæ vi suâ etiam præscindendo â divino Decreto infert consensum creaturæ insuperabiliter, indeclinabiliter.

An reliquos Thomistas sibi consentientes arbitratus est, qui eos lib. 8. de Grat. Salv. c. 2. Aristotelicos potiùs quam Augustinianos insigni calumniâ appellat?

Ibid. dicit quòd sententia de physicâ prædeterminatione etiam pro statu innocentiæ asserta, Augustini Doctrinam inexplicabili confusione perturbet, totum fundamentum medicinalis gratiæ funditus evertat & enervet scripturas.

At saltem in statu naturæ lapsæ non difficulter admittet gratiam Thomistarum prædeterminantem, nam & suam vocari posse ait eodem vocabulo lib. 8. de Grat. Salv. c. 3. col. 822. & cap. sequènti profitetur, quæcumque distinctiones à Thomistis usurpantur,

ad suæ quoque gratiæ defensionem commodè adhiberi. Verùm neque in statu naturæ lapsæ convenit gratiam inter Jansenii medicinalem, & Thomistarum physicè prædeterminantem. Fatetur enim Iprensis lib. 8. de Grat. Salv. c. 3. col. 823. gratiam suam medicinalem tenere se ex parte potentiæ; Thomistarum gratia tenet se ex parte actûs secundi. Nam cum sit mera applicatio potentiæ, necesse est hanc persupponat. Gratia quidem Jansenii applicat voluntatem ad agendum ut ibid. loquitur, sed *applicare*, & *ipsam esse applicationem* multùm differunt ut causa differt ab actione. Unde sicut actio creaturæ non infert necessitatem nisi consequentem, ità & prædeterminatio suos apud defensores. At gratia medicinalis Jansenii necessitatem infert antecedentem, cùm, fatente ipso Jansenio, teneat se ex parte potentiæ, neque cum eâ gratiâ possit componi dissensus, neque sit in potestate creaturæ impedire, quo minùs Deus ejusmodi gratiam largiatur; nam in Pseudo-Augustini principiis non datur gratia merè sufficiens, cui resistendo, quam abjiciendo, sive animum ad alia avertendo opponamus obicem gratiæ efficaci.

Si negaret Jansenius auxilium medicinale tenere se ex parte actûs primi, convinci posset,

ſet, quia eſt robur neceſſarium ad ſuperanda obſtacula concupiſcentiæ. Unde ſine gratiâ ſuâ efficace ſuſtinere non poteſt libertatem ſervandi præcepta in eo, qui illa transgreditur, quia non habet, nec in poteſtate ejus eſt acquirere omnia neceſſaria ſpectantia ad potentiam ſervandi præcepta: Explicari non poſſet quomodo verè gratiæ reſiſtatur; non enim gratiæ in rigore reſiſtit, qui non poteſt ei conſentire; non poteſt autem cui potior pars, ſeu principalis deeſt, quâ, qui caret, ſi neque ei offeratur, non liberè omittit actum virtutis ſupernaturalis præceptum.

Denique nec gratia efficax eſt ejuſmodi cui poſſit humana voluntas pro libitu diſſentire, cum ubi major eſt gratiæ delectatio indeliberata, qui exceſſus ad medicinalem Janſenii gratiam requiritur, ſecundùm eam velimus, & operemur, ſit neceſſè.

CAPUT VI.

Jansenius tradidit quintam Propositionem famosam duriùs quàm contineatur in constitutione Pontificiâ.

SEmipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse. Ità habet propositio 5. Hanc damnant Innocentius X. & Alex. VII. ut falsam temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem. & hæreticam declararunt, & ut talem damnarunt; Alexander etiam sensu ab autore, Cornelio Jansenio, intento.

Tradit autem propositionem Jansenius lib. 3. de Grat. Christi c. 21. col. 386. *Nec enim,* inquit, *juxtà doctrinam Antiquorum pro omnibus omninò Christus passus aut mortuus est, aut pro omnibus omninò tam generaliter sanguinem fudit, cum hoc potius tamquam errorem à fide Catholica abhorrentem doceant esse respuendum*; In Parallelo c. 3. notâ 31. aperte dicit eum esse Massi-

si-

filienſium. Pro ſolis prædeſtinatis mortuum eſſe Chriſtum docet lib. 3. de Grat. Chriſti l. 21. *Quibuſdam*, inquit, *hominibus dare prædeſtinavit fidem, Charitatem & in eâ perſeverantiam uſque in finem, quos eſſe prædeſtinatos, electos, & ſalvandos dicimus .... pro iſtis in æternum vivificando* (vivificandis) *mortuus eſt, pro iſtis ab omni malo liberandis rogavit Patrem ſuum, non pro cæteris, qui â fide & charitate deficientes in iniquitate moriuntur.* Ibid. col. 390. *Quæ ſanè cum in Auguſtini doctrinâ perſpicua, certaque ſint, nullo modo principiis ejus conſentaneum eſt ut Chriſtus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro juſtorum non perſeverantium æternâ ſalute mortuus eſſe, ſanguinem fudiſſe, Patrem oraſſe ſentiatur.* Dein addit: *Ex quo factum eſt ut juxtà S. Doctorem non magis Patrem pro æternâ liberatione ipſorum* (non perſeverantium in juſtitiâ, adeoque non prædeſtinatorum) *quàm pro diaboli deprecatus fuerit.*

Ex his & pluribus ejuſmodi, quæ in Janſenio obvia ſunt perſpectum eſt nihil illi eſſe temerè in propoſitione damnatâ affictum, ſed prorſus eſſe omnia ab eo tradita, ſæpius repetita, & inculcata operoſiùs; & quidem abſurdius loquitur Pſeudo-Auguſtinus, quàm in conſtitutione ſuâ exprimant Pontifices. Fortè autem ſuſpicari quis potuiſſet Janſe-

niam

nitum agere tantùm de redemptione magis propriâ & copiosâ respectu electorum, quàm reproborum, sed omnem interpretationem mitiorem excludit lib. 3. de Grat. c. 21. col. 290. dicens *certum esse & perspicuum quod Christus non magis pro salute ullius hominis reprobi, passus, mortuus, vel Patrem precatus fuerit, quàm pro liberatione diaboli.*

His nequidqnam obstantibus pergit D. de Saint Victor more suo perfrictè negare doctrinam esse Jansenii. Sic loquitur pag. 22. *Ostendit solidè Iprensium Antistes dogma illud ad se minimè pertinere quando lib. 3. de Grat. Salv. c. 21. ità disserit : Christus se dedit redemptionem seu pretium, pro omnibus omninò sufficienter, quia sufficiens pretium obtulit non tamen pro omnibus omnino efficienter*, quia non omnibus applicatur ista redemptio, idque juxtà regulam à S. Prospero diversis locis traditam, &c. cui conformiter Scholastici dicere solent Christum omnes redemisse sufficienter non efficienter. Jansenius lib. 3. de Grat. Salv. c. 21. §. *Respondeo.*

Subjungit Jans. §. sequenti *Christus pro peccatis omnium fidelium ex quibus una constituitur Catholica Ecclesia, redemptio atque propitiatio est.* Cur prætermisit adversarius hæc quæ habentur initio §.? Certè observanda, meritò monet

Emi-

Eminentissimus Cardinalis de Aguirre tract. 1. de autoritate infallibili Romani Pontificis extra Concilium, disp. 22. sect. 5. ubi Jansenius ita disserit: *Sed quia in istis verbis apertè profitetur Prosper redemptionis proprietatem haud dubiè penes illos esse, qui sanctificantur in sanguine Christi, & quia ipsa Phrasis quâ quis dicitur se pro aliquo redemptionem dare præ se ferre videtur redemptionem ex redimentis animo in usum ac liberationem captivorum offerri ac dirigi, quæ oblatio ac directio Christi inanis esse non potest: & quia alioquin etiam pro dæmonibus se dedisse redemptionem dici posset, quibus redimendis sine dubio pretium sanguis ejus est sufficiens, ac denique quia Prospero doctior & antiquior Augustinus* concludit se *genuiniùs veriusque respondere* dicêndo Christum esse mortuum pro generibus singulorum, quibus scilicet mors ejus profuit. Asserit igitur Jansenius Christum pro nullius salute præterquam prædestinatorum esse mortuum, quod hæresios damnatum est.

Dum ultrà fatetur Christum mortuum esse pro fidelibus ut justitiam iis temporalem promereretur, quid facit ut eum censuræ subducat, definiente Sede Apostolicâ quod etiam pro aliorum quàm qui prædestinati sunt salute Christus mortuus sit?

Neque Jansenium juvat quod dixerit Chri-

 stum

ſtum obtuliſſe pretium quod redimendis omnibus etiam non prædeſtinatis ſufficiebat, cum aliud ſit offerre Patri pretium ſufficiens redimendis omnibus, aliud pretium ſufficiens offerre pro omnibus redimendis.

Age oſtende Janſenium uſquàm in ſuo Pſeudo-Auguſtino admiſiſſe Chriſtum mortuum eſſe pro æternâ ſalute vel unius ſaltem reprobi, me victum, Janſenium verò à Propoſitionis ſenſu abſurdiſſimo immunem fatebor. Non objiciam quod poſſem meritò Janſenium oppoſitum docuiſſe locis, quos retuli luce meridianâ clarioribus. Sed numquam poterit Adverſarius Chriſtum vel pro unius reprobi ſalute mortuum oſtendere in Janſenio; nam quamvis inconſtans fuerit Iprenſis in autoritate Patrum modò extollendâ, modò deprimendâ, in dogmatibus tamen tantâ ubique concluſionum cum Principiis conſonantiâ, tantâ ubique conformitate procedit quantam neſcio an reperias in ullo Scholaſticorum.

Inſtat Palladius Spongiæ pag. 2. *Loquitur Janſenius non de quacumque voluntate, ſed de abſolutâ, ut ejus verba indicant; pro primi, inquit, generis hominibus Chriſtus, pro veris ovibus, vero populo ſuo ab ſe ſalvando ſemetipſum dedit ac tradidit.*

Reſ-

Respondeo Jansenium quidem non numquam mentionem facere voluntatis absolutæ, at prætereà sæpe etiam sine restrictione negat ut lib. 3. de Grat. Salv. c. 21. Christum voluisse salutem, ullius non prædestinati: *Quia ipsa phrasis*, inquit, *quâ quis dicitur se pro aliquo redemptionem dare præ se ferre videtur redemptionem ex redimentis animo in usum ac liberationem captivorum efferri ac dirigi, quæ oblatio ac directio Christi inanis esse non potest*, *&c.* & ut hoc scilicet darem Palladio, nusquam novi Augustini commentator admisit in statu naturæ lapsæ ullam in Deo, vel in Christo voluntatem beneplaciti inefficacem, sed tantum voluntatem signi vel similem complacentiam, vi cujus nec præstentur nec offerantur ulli reprobo media sufficientia ad salutem. Multum gloriatur Palladius suo Paulo Irenæo, quippe, qui Jansenii dogmata sana esse *clarissimè demonstrarit*, ex cujus vindiciis *pateat nihil adversus Jansenium adferri posse, quod non jam diù confutatum & obtritum sit.*

Multa Paulus hîc congerit, quorum hoc ferè est compendium 1. Jansenium tantùm negasse quòd Christus mortuus sit pro omnibus omninò voluntate absolutâ: 2. Ut omnibus prætereà collata sint auxilia Molinisticè sufficientia: 3. Locutiones Jansenianis persimiles

miles etiam ab Aug. & Thomâ, Ecclesiâ Lugdunensi, & Concilio Valentino fuisse usurpatas.

Respondeo: primum jam dissolutum est. Ad 2. quæro ubinam Iprensis gratias saltem Thomisticè, vel Scotisticè ad salutem sufficientes omnibus præparatas & vel datas vel oblatas agnoverit, qui non tantùm infantibus voluntate absolutâ baptismum negatum, sed innumeros adultos & rationis compotes in lege novâ omni auxilio supernaturali prædicat destitutos propter solùm originis peccatum?

Aliter profectò Doctores Catholici, & qui præ cæteris à Jansenistis in doctrinæ Societatem vocantur illustres Thomistæ. Didacus Alvarez de Auxiliis dis. 112. n. 5. 6. 7. docet *Deum omnibus offerre quantum est ex se auxilia intrinseca sufficientia ad salutem, Christum pro omnibus mortuum esse & dein omnibus adultis conferre auxilium supernaturale intrinsecum* AD IMPLENDA PRÆCEPTA *naturalia, quæ supposito peccato per vires naturæ impleri non possunt, & illud auxilium recipi ab omnibus pro loco & tempore quo præceptum obligat, & præsertim dari omni homini ad usum rationis venienti, & si eo bene utatur, infallibiliter dandum auxilium sufficiens* AD IMMEDIATE CREDENDA *mysteria fidei.*

Di-

Didacus Nugnez Cabezudo. Tom. 2. in 3. p. q. 1. ad a. 2. *Probatur*, inquit, *Christum satisfecisse pro omnibus quantum ad sufficientiam, hoc enim est dedisse omnibus* AUXILIUM SUFFICIENS UT AGANT POENITENTIAM.

Jansenius vult tantùm Christi mortem fuisse pretium sufficiens non tamen pro omnibus oblatum. Nec omnibus gratias ad salutem sufficientes promeritum; imò nulli nisi prædestinato.

Didacus Nugnes ibid. q.86. ad a.1. concl.2. *Impossibile est quod peccatores salventur nisi agant pœnitentiam, sed omnibus dat Deus auxilium sufficiens ad salutem; ergo etiam ad pœnitentiam.* Quâ id ratione firmat? *Minor*, inquit, *patet Joannis 3. sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Et 1. Ioan. 3. ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm sed etiam pro totius mundi, & 1. ad Timoth. 4. Salvator omnium maximè fidelium.* Hinc infert omnibus adultis ratione utentibus, nullo excepto datur auxilium sufficiens.

Joannes Gonzales de Albelda in 1, p. disp. 73. sect. 3. n. 24. docet *in Deo esse sinceram voluntatem generalem quâ vult omnes homines salvos fieri . . . . quâ omnibus vult auxilia sufficientia ut*

 æter-

æternam possint, si velint, salutem consequi. Disp. 77. sect. 3. n. 24. *Si auxilia sufficientia ad salutem considerentur in generali, omnibus conferuntur à Deo ejusmodi auxilia, quia pro omnibus mortuus est Christus..... quamdiu quis manet in hâc vitâ, exclusus non est à remedio salutis, sive adultus sit, sive parvulus, cui per alios subveniri potest.*

Si magis placeant recentiores, accipe Gonetum Tom. 1. Tract. 4. disp. 4. a. 2. §. 4. *Jansenii sententia*, inquit, *non tantùm fidem mutilat, & spem infringit, verùm etiam refrigerat Charitatem.* Et infrà: *Præcipuum divinæ Charitatis incentivum nobis Jansenius eripit, cum pro electorum tantùm salute Christum mortuum esse affirmat.* Ibid. Hanc Jansenii propositionem & S. Scripturæ & Patrum testimoniis impugnat accerrimè, absurdis & inconvenientibus ex ea deductis explodit, & oppositum probat illo 1. Apost. ad Tim. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri*, ubi ait Apostolum non loqui de simplici velleitate & nudâ complacentiâ, sed ut explicat a. 5. §. 1. *voluntate antecedente præparante media seu auxilia, quibus homines sufficienter ordinentur & promoveantur in vitam æternam.*

Voluntas illa antecedens non tantùm est respectu hominis innocentis sed etiam pri-

mævo

mævo peccato inquinati, adeò ut potentia servandi præcepta non in solâ naturâ integrâ, sed & in sauciâ servanda sit, & idcircò præstandæ omnibus gratiæ sufficientes. Sic enim loco citato artic. 5. §. 1. *in statu naturæ lapsæ*, inquit, *salvari debet possibililas præceptorum supernaturalium, ut constat ex definitione Tridentini, & ex novâ constitutione Innocentii X.* Ibid. *si homines essent impotentes ad implenda præcepta supernaturalia & carerent auxiliis sufficientibus ad illa observanda, non peccarent ea transgrediendo vel omittendo, quamvis talis impotentia & carentia auxiliorum proveniret ex peccato Adami, & esset voluntaria in capite.*

Non minùs dilucidè Vincentius Ferre tom. 2. tract. 9. de voluntate Dei q. 6. §. 5. n 642. postquam citasset verba quædam, quibus Jansenius hæresiarcharum more mitigare in speciem visus fuerat dogma hæreticum, subdit: *Quibus ultimis verbis quamvis videatur Iansenius aliquantulum temperare hæresim suam, tamen illi non est fidendum, quia statim redit ad vomitum pestiferæ doctrinæ.*

Hoc ubi ex ejus Pseudo-Augustino probavit, sic concludit; *verba ad longum adduxi ut appareat quàm justè contrà Iansenium hæc propositio, Semipelagianum est asserere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum fuisse, aut sanguinem*

guinem fudisse, damnata sit ab Innocentio X.

N. 644. *Fatendum est*, inquit *Christum verè effectu ipso mortuum fuisse pro omnibus, non quod effectus passionis omnibus applicatus sit, sed omnibus à Deo præparatus, omnibus in statu naturæ lapsæ adultis ratione utentibus oblatus immediatè, parvulis mediatè in aliis.* §. 6. n. 647. *Omnes homines*, inquit, *tenentur ad salutis consecutionem; ergo possunt illam consequi. Hoc posse dant auxilia sufficientia ad consecutionem beatitudinis.* Ubi quamvis per se satis evidens appareat, agi etiam de hominibus consideratis post culpam originis, apertiùs se explicat N. 650. respondens ad objectionem Jansenii; *Esto*, inquit, *homo per peccatum contraxerit immediatam carentiam auxiliorum, sufficienter tamen scimus ex Tridentino quod Deus impossibilia non jubet; ergo semper erit fatendum, quod per Christum Salvatorem restituta sint hominibus auxilia sufficientia ut possint observare mandata, aliàs Deus juberet impossibilia.* N. 653. citat Ferrariensem 3. contrà Gentes c. 159. dicentem, *Secundum autem auxilium omnibus impendit & nulli quantum ad hoc absens est Deus, cum nullus sit, qui ab eo non moveatur ad bonum & ad gratiæ præparationem.*

Aliter Arnaldus, qui post Jansenium in nuperâ peccati Philosophici denunciatione in-

pu-

numeros adultos & rationis compotes omnis divinæ gratiæ expertes facit.

Distinctiùs quam Ferrariensis apud P. Ferre loquitur Soto in 4. dist. 14. a. 10. *Quod numquam per Deum stat quo minùs quicumque peccator reconciliari cum ipso valeat: nemini enim auxilium speciale denegat, quod ad reconciliationem sufficit.*

Didicêre hæc Thomistæ ab Angelico suo Magistro in Epist. ad Hebræos c. 12. lect. 3. *Deus*, inquit S. Doctor, *vult omnes homines salvos fieri*, ET IDEÒ GRATIA NULLI DEEST SED OMNIBUS QUANTUM IN SE EST SE COMMUNICAT. 3. Contrà Gentes cap. 150. DEUS QUANTUM IN SE EST PARATUS EST OMNIBUS DARE GRATIAM, VULT ENIM OMNES HOMINES SALVOS FIERI.

Pseudo-Augustinus non nisi in statu innocentiæ omnibus hominibus parata concedit media ad salutem sufficientia decreto efficaci, quandoquidem mox à præviso peccato primi parentis infinitæ penè multitudini negata censeat decreto Dei ineluctabili.

Voluntati Dei salvandi omnes etiam post peccatum originale conformis fuit voluntas Christi, quâ juxtà S. Thomam 1. ad Tim. 2. lect. 1. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, pro aliquibus* efficaciter sed pro omnibus sufficienter.

ter. *Quibus in verbis*, inquit, Ferre, *exprimit* (S. Thomas) *Christum pro omnibus in effectu mortuum, etsi efficaciam salutis æternæ non omnes acceperint ex morte Christi: sicut dum quis tantùm habet in se auxilium sufficiens ad salvandum, dicimus, iste efficaciter, hoc est in effectu habet in re sufficientiam ad salutem, sed non salvabitur ex vi illius solius.*

Denique citatâ simili S. Thomæ sententiâ concludit, *Ergò secundùm D. Thomam Christus mortuus est pro omnibus qui erant infecti peccato originali.* Idem probat ex Augustino dicens, quod *nisi pro omnibus, omninò Christus mortuus sit non valeat argumentatio Augustini adversùs Julianum* probantis cum Apostolo peccatum originale & mortem spiritualem omnium ex morte Christi pro omnibus.

Pluribus S. Augustini, & S. Thomæ pronuntiatis ibidem sententiam orthodoxam invictè corroborat contrà Jansenium. Sic ubi sanctorum alteruter Christum pro solis electis mortuum aut orasse asserit, de intentione salutis efficaci facilè explicatur. Inefficacem & conditionatam voluntatem neuter negavit. Ea verò voluntas respectu finis, & æternæ salutis conditionata, absoluta est respectu præparationis & oblationis mediorum verè sufficientium, quæ si adulti non repudient, vel

vel respectu parvulorum aliunde non reddantur irrita, finis obtinebitur, quia in voluntate conditionatâ & inefficace, quâ Deus vult omnes homines salvos fieri & Christus clausum omnibus cælum pendere, continetur voluntas efficax conditionata.

Apagè igitur commentum illud Jansenianum de morte Christi tantùm pro generibus singulorum, non pro singulis generum. Apagè & illud de pretio tantùm omnibus sufficiente, non pro omnibus oblato. Frustrà apud Thomistas præsidium quærant Janseniani. *Contrà Jansenium*, inquit Gonet, *ostendimus Tom. 2. disp. 5. a. n. 159. Christum pro omnibus mortuum esse.* PASSIO CHRISTI PRO OMNIBUS OBLATA, *causa est sufficiens salutis omnium & veluti generalis quædam apotheca continens omnia media seu remedia ad salutem necessaria, & fons ille de quo dicitur Zach. 13. in illa die erit fons patens domui David. Pari benevolentiâ Deus omnibus hominibus etiam peccato sauciis remedium offert Christi meritis paratum.*

Ibid. *Si ly dare sumatur prout significat idem, quod præparare seu offerre in communi, Deus omnibus reprobis tam parvulis quam adultis dat media seu auxilia ad salutem sufficientia: Probatur breviter, Deus habet voluntatem antecedentem de salute*

tate omnium hominum, quæ non solum est voluntas signi (ut est Jansenistis) *sed etiam beneplaciti..... atqui proprius hujus voluntatis effectus est præparare media seu auxilia ad salutem sufficientia.*

Ad Ecclesiam Lugdunensem & Concilium Valentinum tam magnificè à Palladio jactatum respondêre jam pridem Theologi orthodoxi, inter quos R. P. du Bosc ordinis S. Francisci Regi Christianissimo à Consiliis & concionibus in lib. *de morte Christi pro omnibus* Parisiis impresso 1651. ubi pag. 207. solidè ostendit autorem doctrinæ editæ nomine Ecclesiæ Lugdunensis, uti & Concilium Valentinum tantùm negare quod Christus esset mortuus pro salute omnibus efficaciter procurandâ, sic ut descendens ad inferos indè damnatos liberasset contrà illud propheticum; *ero mors tua ô! mors: ero morsus tuus inferne!* ubi non omnes per Christum salvandi indicantur, cum morsus partem tantùm decerpi significet.

Eadem ferè est explicatio Stephani des Champs de hæresi Janseniana lib. 2. disp. 7. c. 14. Petavii Tom. 4. parte 2. lib. 13. c. 14. nisi quòd hic neget Christum obtulisse sanguinem, orasse, apud Patrem intercessisse pro impetrandâ salute eorum, qui jam in pec-

cato

cato erant damnati, ac mortali vitâ defuncti. Quamvis & hi juxtà Petavium redempti sint à Christo, hoc sensu, quòd propter ejus merita & passionem à Deo prævisam & acceptatam auxilia eis destinata, & suo tempore concessa sint adeò sufficientia ad salutem, ut per Deum non steterit quo minùs per ea finem ultimum consequerentur. Hanc mortis, hanc passionis suæ acceptationem ratam Christus habuit, & gratiarum actione prosecutus est, Deum pro ceterorum etiam reproborum salute impetrandâ oravit.

Cur Jansenista qui paulò antè citaverat Petavium designato libro, capite, numero quo verba extarent, in hac tam gravi accusatione locum ejusdem autoris celare nos voluit, nisi ut impunè calumniam inferret, &, si Jansenium suum damnationi eripere non posset, eâdem pariter prostratum exhiberet fortissimum fidei athletam & Jansenii debellatorem? Ut verò etiam de accusationis veritate minimè dubites plura profert ex Petavio lib. 9. c. 7. n. 9. quibus hæc subnectit; *Christus pro iis solùm sanguinem fudit, qui æternam vitam consequuntur.* Quis non existimet etiam hæc verba loco citato reperiri? Non reperiuntur tamen uti nec sensus, nec affine quidquam. Accusatoris hic vicem supple-

bo : tom. 4. p. 2. de incarnat. lib. 13. c. 14. ubi ex professo agit Petavius de morte Christi pro omnibus. *Pro reprobis itaque*, inquit; *non sategit absolutè Christus, neque de eorum salute directè Patrem interpellavit, sed tamquam ex obliquo quatenùs ea, illis exoravit auxilia gratiæ, quibus certa ipsis ad salutem via sterneretur si deesse sibi nollent*: Adeòque non negat Christum pro salute omnium sategisse & interpellasse Patrem, sed tantum id negat de voluntate absolutâ.

Ibidem suprà mens ejus fit manifesta cum dicit : *si de illa parte humani generis agitur, quæ post Christum deinceps futura erat ad usque mundi terminum, consentaneum id mihi videtur, ad eos redimendos non pretium tantum modò fructumque pertinuisse mortis illius, sed etiam applicationem, & ut ad illorum salutem quodammodò prodesset, redemptoris orationem; non eam tamen absolutam, cujusmodi pro electis ab eodem est exprompta Christo : verùm hoc pacto ut necessaria illis impetraret adjumenta gratiæ, quibus si benè uti vellent salutem, possent adipisci. Quare uti voluntas illa, quâ reprobos nondum mortuos Deus salvos fieri vult, non est absoluta, sed conditionalis, in qua tacitè hoc implicatum tenetur; si & ipsi velint, & opitulanti gratiæ voluntariam navent operam: sic accommodatio illa Passionis Christi*

sti ad reproborum emerendam salutem, voto ipsius & oratione facta, simili conditione temperata fuit. Quid hìc commune est cum propositione 5 Jansenii? Quid non depromptum ex communi doctrina Ecclesiæ? Quid non perfectissimè consonum doctrinæ eorum, qui Janseniano sensui ex diametro adversantur?

I nunc Pseudo-Irenæe, & exultans vociferare pag. 23. *habent Jesuitæ propositionem damnatæ 5 propositioni planè æquivalentem ab uno ex suis prolatam .... nullam ejusmodi in toto Jansenii libro invenire ità crudam possunt, ut fortasse quisquam suspicari possit librum Petavii pro Jansenii libro Innocentio X* (quidni & Alexandro VII) *obtrusum fuisse.*

O sicophantam! age Magistri tui Iprensis damnatum volumen oculis subjice, ego tibi Petavium exhibeo verbis minimè obscuris sententiæ Catholicæ suffragantem, assertâ morte Christi pro salute etiam reproborum, saltem qui antè vitâ non excesserant. imò & de his loco citato sic pronuntiat: *Dici hoc tamen haud absurdè fas est Christum Dominum eatenùs pro reprobis, qui antè decesserant, pati voluisse, quod ratum illud habuerit, ac pro eo gratias etiam egerit Patri, quidquid suâ causâ, & propter merita passionis, mortisque suæ benè reprobis istis, ac damnatis in eorum vita fecisset.*

At quid istud beneficii, an fortè tam tenue, quo salutem non magìs consequi possent, quàm, ut comparationibus Jansenii utar, fractis pedibus currere, destituti oculis videre, surdi audire? Nequaquam: sed cum passionem Christi pro omnibus dicit esse susceptam, hoc est, inquit, ejus gratiâ omnibus hominibus aditum ad salutem esse patefactum, addit fuisse sententiam, eamque verissimam Concilii Carisiacensis capitul. 4.

Ibid. Petavius n. 6. *Equidem quod in superioribus capitibus studiosè est effectum, verissimum id esse arbitror, neque vel ab Augustini, vel hujus vestigiis inhærentium placitis alienum, ut omnium etiam reproborum salutem voluntate quâdam antecedente Deum amplecti, sic Mediatorem Dei, & hominum Jesum Christum omnibus, quoad ejus fieri potuit, prodesse morte suâ voluisse, eorumque saluti consulere .... Quamobrem dici hoc universè potest Christi mortem ac merita omnibus ad salutem adducendis hominibus divinâ destinatione contulisse.*

Nunc vide Adversarii æquitatem Jansenismo initiatis propriam. *Nec tamen*, inquit, *ità sum iniquus, ut Petavium propterea censeam errorem, qui in illis verbis includi posset, etiam tradidisse. Hoc solum Jesuitas monitos volo, si iniquum sit* (ut est iniquissimum) *propositionem* 5.

in Petavium conferri apud quem saltem extant verba (ut mentitur Pseudo-Irenæus) *quanto iniquius in Jansenium, apud quem nec ipsa ejus verba* (materialia quoad omnes apices, sed quoad significationem & sensum) *comparent*.

Nolim & ego iniquus esse in Adversarium in cujus gratiam locum Petavii dabo integrum ex quo accusationis occasio accepta est. Tom. 4. part. 2. lib. 13. c. 14. n. 4. citat Petavius caput 4. Concilii Valentini reprehendentis Carisiacos quod pro illis impiis qui à mundi exordio usque ad passionem Domini in suâ impietate mortui, æternâ damnatione puniti sunt, effusum Christi sanguinem definiant. Tum subdit *ipsum verò pro illis solis hoc datum decernit* (Concilium) *de quibus Dominus cum Nicodemo colloquens dixit: sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ubi nec Petavius asserit pro solis prædestinatis mortuum esse Christum, sed autoritatem Concilii sententiæ suæ objiciens, illud explicat, uti & Augustinum de voluntate absoluta & efficaci, quâ Christus aliter pro electis, aliter pro fidelibus, & justis non perseveraturis, aliter etiam pro infidelibus mortuus sit, sic tamen ut mors ejus etiam pro salute reproborum

oblata sit, & pro omnium salute acceptata à Patre, & quodammodò applicata in quantum intuitu mortis Christi præparavit, & quantum erat ex parte sua obtulit media ad salutem sufficentia, licèt non omnes sint illorum participes, sive culpâ propriâ, sive alienâ ut parvuli, sive quod justas ob causas Deus communem naturæ ordinem noluerit immutare.

Aliter profectò statuit Jansenius, reproborum omninò nulli præparata, & oblata à Deo propter Christi merita fuisse media ad salutem sufficientia. In eo consistit præcipuum Jansenianæ hæresios virus. Hoc Petavio, hoc Thomistis, hoc orthodoxis omnibus horrori est ac detestationi.

Criminationis vanitas non latuit Palladium, qui cum ex suo Irenæo descripsit tam multa, non prætermisisset, tam insignem Petavii locum, nisi apertè nimis confictum perspexisset, præsertim si is sit Palladius, qui vulgò creditur Dominus Ægidius de Witte calumniis in variorum ordinum religiosos præsertim in P. Ægidium Huygens Societatis Jesu Mechliniæ ab anno per Adventum Concionatorem toto Belgio percelebrem. Denique ut jactationem Palladii in Autorem retorqueam nihil pro Jansenio adferri po-

poteſt, quodnon antè confutatum, & obtritum ſit.

C A P U T VII.

Propoſitiones 5 eſſe Cornelii Janſenii confirmatur autoritate non tantùm ſummorum Pontificum, Cardinalium, Epiſcoporum, aliorumque Catholicorum, ſed & ipſorum Janſeniſtarum.

QUoniam res nobis eſt cum ejus ſectæ Theologis, qui ut in criminandis aliis temerarii, in defendendis ſuis præſertim ducibus adeò obfirmant animum ut nulli cedant autoritati, in facti potiſſimùm, ut vocant, quæſtione, quam ſolis ſenſibus decidi jubent, convincendi primùm fuêre de ſententiarum conformitate collatis Janſenii verbis cum famoſis quinque propoſitionibus, quod dum abundè præſtitum eſt, non omittenda idcircò autoritas fidelibus irrefragabilis, nec ulli ſanæ mentis recuſanda.

Poſtquam Urbanus VIII. A. 1641. Pridiè nonas Maii conſtitutione in *Eminenti* damnaſſet Auguſtinum Janſenii ut *continentem multas*

ex-

ex propositionibus à prædecessoribus suis olim. . . . damnatis ac defendentem magno cum Catholicorum scandalo, & autoritatis S. Sedis contemptu, neque id tantùm ex incerto rumore didicisset Pontifex sed *ex diligenti & maturâ ejusdem libri lectione compertum* testatur, neque ab aliis solùm, sed à se; *à nobis*, inquit ibidem Pontifex *compertum est prædictum librum, cui Titulus est Augustinus, Articulos, opiniones, & sententias in dictis constitutionibus* (Pii V. & Gregor. XIII.) *reprobatas atque damnatas continere, & renovare.*

Innocentius X. A. 1653. prid. Kal. Junii Constitutione; *Cum occasione: Pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id specialiter sæpius Congregatis, à pluribus in S. Theologiâ Magistris quinque propositiones*, inquit, *fecimus diligenter examinari eorumque suffragia tum voce tum scripto relata maturè consideravimus, eosdemque Magistros variis coram nobis actis congregationibus prolixè super iisdem ac super earum quâlibet differentes audivimus. Cum enim ab initio hujusmodi discussionis ad divinum implorandum auxilium multorum Christi fidelium preces tum privatim tum publicè indixissemus, postmodùm iteratis iis ferventiùs, ac per nos sollicitè imploratâ S. Spiritûs assistentiâ tandem divino numine favente ad infrascriptam devenimus declarationem & definitionem*

nem. Hîc sequuntur propositiones earumque censuræ.

Frustrà cavillantur Jansenistæ non proscribi articulos Augustini Janseniani, sed ejus occasione controversas & Pontifici oblatas propositiones; Nam licet occasionis hic cujusdam meminerit Pontifex plus tamen exprimit, quàm in constitutione videant quidam Iprensis defensores. *Cum*, inquit Pontifex, *occasione impressionis libri, cui titulus, Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis inter alias ejus opiniones* (audis inter alias ejus opiniones) *orta fuerit præsertim in Galliis controversia super quinque ex illis* (Jansenii propositionibus ad quid enim Τὸ *ex illis* referes?) *Complures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, ut easdem propositiones nobis oblatas expenderemus ac de unâquaque earum certam & perspicuam ferremus sententiam.*

De quinque propositionibus tamquam ex Jansenio excerptis Papam interpellatum fuisse à Galliæ Episcopis satis constat: mox eorum testimonia loquentur. Constitutionem sic finit: *Non intendentes tamen per hanc declarationem & definitionem super prædictis quinque propositionibus factam approbare ullatenùs alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Jansenii.*

Quandonam amabo Pontifex hoc modo de cujusdam libri propositionibus aliis statuit

mo-

monendos fideles, nisi de aliquibus ejusdem libri propositionibus prius egerit, tuleritque sententiam? Hic saltem si dubites consule Decretum A. 1654. die 23. Aprilis Feria V. sancitum in Congregatione Generali S. R. ac universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coràm SS. D. N. Innocentio divina Providentia Papa X, ac EE. & RR. DD. S. R. E. Cardinalibus in universâ Republicâ Christianâ contrà hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à S. Sede Apostolicâ specialiter deputatis: ubi *SS. D. N. Innocentius Papa X. post condemnatam suâ constitutione edita prid. Kal. Junii A. incarnationis Dominicæ 1653. in quinque Propositionibus Augustini Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis &c. doctrinam,* iteratò eundem Jansenii librum condemnat.

Quod luculentius testimonium desideres propositiones quinque Jansenii esse? Quomodo enim in illis damnatur doctrina Jansenii, si ad Jansenium propositiones non pertineant? Simile prorsus ejusdem Innocentii testimonium extat in ejus Brevi ad Cardinales, Archiepiscopos, & Episcopos, Cleri Gallicani in Comitiis generalibus Congregatos misso die 29. Septemb. 1654. *Omnibus*, inquit, *Pastoralis officii administris injunximus, ut quâ par est obedientiâ, ubique ser-*

vari enixè curent constitutionem nostram, quâ die 31. Maii A. 1653. DAMNAVIMUS IN QUINQUE PROPOSITIONIBUS CORNELII JANSENII DOCTRINAM EJUS LIBRO CONTENTAM CUI TITULUS AUGUSTINUS.

Antè Innocentium X, antè EE. R. Inquisitionis Cardinales, Episcopos, aliosque à Pontifice consultos in Italiâ Theologos propositiones in Augustino Jansenii legerant tot Galliæ Episcopi, quorum octoginta quinque Innocentii judicium de quinque propositionibus Jansenii postulant. *Decennium est*, inquiunt, *ex quo vehementissimis turbis Gallia magno nostro mœrore commovetur ob librum Posthumum, & doctrinam Reverendissimi Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi. Tales quidem motus sedari oportebat tum Concilii Tridentini autoritate, tum Bullæ illius, quâ Urbanus VIII. fel. mem. adversùs Jansenii dogmata pronuntiavit, & Decreta Pii V. ac Gregorii XIII. in Baium edita confirmavit: Atque hujus quidem Bullæ veritatem & robur novo diplomate vindicasti, sed quia nulli sigillatim propositioni certa censura nota inusta fuit, locus etiamnum aliquis quorumdam cavillis & effugio relictus est. Intercludendum autem penitus speramus, si, ut precamur, sanctitas tua, quid in hac re sentiendum sit clarè distinctèque definiat. Obtestamur ergò ut has præsertim* (Jansenii) *propositiones de quibus dis-*

disceptatio periculosior & contentio ardentior est, sanctitas tua expendat, & perspicuam ac certam de unaquaque sententiam ferat.

Si neque his credant Janseniani consulant omnes totius Europæ universitates, consulant Doctores quotquot in Jansenio umquam versati sunt, consulant Ecclesiam universam, unam deprehendent adversùs Arnaldum aliosque Jansenii sequaces omnium vocem & sensum communem; quinque Propositiones famosas citrà omne dubium esse Jansenii.

Quid solennem Alexandri VII proscribentis propositiones V. ut excerptas ex Augustino Jansenii ejusque sensu intellectas constitutionem commemorem; quid ejus Brevia; quid famosi formularis subscriptionem? Sed de his plura inferiùs.

Occinant igitur deinceps nobis cum Arnaldo suo devoti Jansenio Theologi propositiones in Jansenio non reperiri, illum ab erroribus sibi impositis esse remotissimum, ut Arnaldus etiam post Innocentii X. definitionem scribere non est veritus Epist. 2. ad Ducem & Parem Franciæ; nos illi propositiones in Pseudo-Augustino non tantum perspiciendas, sed penè palpandas dedimus. Accedit Romanorum Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, Universitatum Parisiensis, Pictavien-

vienſis, Duacenæ, &c. & totius Eccleſiæ irrefragabilis autoritas; undè meritò hanc Arnaldi ſententiam excepit ea Facultatis Theologicæ Pariſienſis cenſura A. 1656. die ultimâ Januarii lata, & confirmata 1. Feb. his verbis: *Sacra Facultas de re totâ per duos menſes integros habitis ferè quotidiè apud eandem Sorbonam ſolennibus comitiis deliberavit & poſt accuratam diſquiſitionem tandem definivit priorem illam quæſtionem, ſive propoſitionem, quæ eſt facti* (poſterior erat de negatâ Petro gratiâ ſufficiente) *eſſe temerariam, ſcandaloſam, injurioſam Summo Pontifici & Epiſcopis Galliæ, atque etiam præbere occaſionem renovandæ ex integro poſt damnationem Janſenii doctrinæ.* Si enim doctrina ejus libri nihil contineat ab Eccleſiâ proſcriptum, ſed ut idem Arnaldus eâdem Epiſtolâ, uti & utrâque pro Janſenio apologiâ vult, aliud non complectatur, quàm genuinam S. Auguſtini doctrinam, tot olim Pontificibus, Conciliis Oecumenicis, & Eccleſiæ univerſæ probatam, quid ni eam tueri quilibet poſſit tutiſſime? Conſequens, ſcio, admittunt & omnibus inculcare conantur Neo-Auguſtiniani; non alio enim fine quæſtionem facti negant, quàm propter quæſtionem juris.

Longè clariſſimum & Novatoribus pluſ-

quàm omnium Cardinalium & Romanorum Pontificum venerandum est testimonium D. Natalis de la Lane Abbatis B. M. de Valle Crescenti, qui à Jansenianâ factione sub Innocentio X. cum DD. de S. Amour, Desmares, Manessier, Angran, & quidem ut legationis caput Romam missus fuit ad avertendam à quinque Propositionibus lethalem sententiam: idem qui fuit autor V. articulorum; hic inquam vir tantus lib. de gratiâ victrice, quem ut ipsi nos docent Jansenistæ in nupero scripto cui titulus *Question curieuse* conscripsit sub nomine D de Bonlieu, desumpto, ut apparet, nomine ex loco Monasterii vallis crescentis, asserit eas habere *sensum omninò sanum, quo Illustrissimus Iprensium Antistes aliique Augustini discipuli eas semper sustinuerunt.* Locum hunc dabo mox ampliorem. Hæc inter cætera probavere Jansenianæ factionis proceres sex DD. Brousse, Bourgois, Talendier, Feydeau, Herman, Olonergean.

Idem agnovere omnes illi Jansenii defensores, qui cum primùm Propositiones sine autoris nomine Sorbonæ offerri ad censuram animadverterent, non dubitarunt eas tamquam Jansenii defendere, & tam illustris Episcopi doctrinam non expresso ejus nomine in discrimen vocari questi sunt, quanto strepitu! Quibus clamoribus!

Præ-

Præterea Arnaldum sive quisquis est autor libelli cui titulus *Memoires sur le dessein, qu'ont les Jesuites.*

Non habent igitur Jansenistæ quo tam insigne mendacium, vel si ità loqui nos malint, restrictionem suam tueantur, cum negant propositiones esse Jansenii, nisi refugiant ad sensum, atque hunc, prout à Pontificibus damnatus est, negent in Jansenio reperiri, de quo capite sequenti.

CAPUT VIII.

Quinque Propositiones damnatæ sunt in sensu Jansenii.

QUotiescumque Jansenii defensores negant quinque Propositiones damnatas reperiri in Jansenio non illud hoc sensu negant quasi propositiones nullo modo, nullo sensu in ejus Augustino deprehendantur, foret enim id mendacium nimis patens, & cujus convictio vel mediocri Theologo foret perfacilis, ut à nobis superiùs est demonstratum. An enim non satis constat propositionem 1. ipsis terminis quod omnes apices extare apud Jansenium lib. 3. de Gratia Christi c. 13. col. 334? Secundam omnium oculis as-

aſpectabilem eſſe lib. 2. c. 24. col. 200. niſi quod ibi dicatur *hominem non poſſe reſiſtere*, propoſitio verò damnata tantùm ſtatuat hominem numquam reſiſtere? Idem ex ſuprà dictis patet de propoſitionibus cæteris; & tamen negant Adverſarii ullam in Janſenio contineri; intelligunt igitur de propoſitionibus formalibus ſeu quoad ſenſum.

Hinc dicunt non contineri errores, non propoſitiones damnatas, non hæreſes in Janſenio. Et ſanè, meritò ſic loquuntur, meritò negant propoſitiones eſſe Janſenii, ſi alio ſenſu à Janſenio traditæ ſint, alio à Pontifice proſcriptæ. Non enim propoſitio cenſetur eâdem, ubi ſenſus diſcrepat, quamvis perfecta litterarum & vocum ſtatuatur conſonantia. Quis eandem propoſitionem eſſe dixerit; canis eſt animal, ſi à duobus proferatur, altero intelligente de cane terreſtri altero de cæleſti? Gemina ſecundum omnes propoſitio eſt altera multùm alteri diſſimilis, ità ut prior veriſſima ſit, falſa poſterior. Et ne à Theologiâ abeamus, utor exemplo D. Antonii Arnaldi vel ejus Ammanuenſis in tractatu nupero (*Queſtion curieuſe*) proferat Catholicus hoc ex Sacris paginis *Verbum Caro factum eſt*, proferat & Eutychianus. Intelliget hic verbum, uti in perſonam ità & in naturam unam

cum

cum carne in Christo coaluisse, illo verbum constituisse unam cum carne personam, duas infinitè discrepantes naturas.

Simile quid occurrit in propositione damnatâ inter Bajanas 27. *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet.* Si verborum corticem spectes videbitur Augustini; sensum tamen si ex scopo & cæteris circumstantiis introspexeris, patebit plurimùm dissidere à Bajo Augustinum. Augustinus enim negat libero arbitrio gratiâ destituto potentiam eliciendi opus salutiferum, Bajus etiam naturaliter honestum & indifferens. Atque adeò licet voces quædam in aliquo S. Patre, vel etiam inferioris ordinis Theologo deprehendantur eædem, quæ in propositione condamnatâ, non illicò sequitur in Patre illo vel Theologo esse propositionem damnatam; cum propositionis identitas vel distinctio sit penes sensum potiùs, quàm sonum verborum.

Sed hæc Pseudo-Augustinianos nostros quid juvant, cùm potiùs eorum causam magis reddant desperatam? Damnavere scilicet Pontifices non solùm Propositiones, quæ quoquo modo litteris & sono verborum referunt loquendi modum Iprensis Antistitis, sed ipsas ejus propositiones; ejus sensû, prout

hic in *Augustino* ejus exprimitur intellectas, ejus opiniones, sententias, doctrinam proscripsere. Si dubites inspice modò diplomata Apostolica, mox omnis dubitatio dispelletur, nisi te præposterus Jansenii defendendi zelus excœcaverit.

Librum prædictum, inquit Urbanus VIII, *cui titulus est Augustinus, Articulos, opiniones, & sententias in dictis constitutionibus* (Pii V. & Gregorii XIII.) *reprobatas, atque damnatas, ut à nobis compertum est, continentem & renovantem .... eâdem autoritate per præsentes omninò prohibemus, ac pro vetitis, & prohibitis haberi volumus.*

De quinque Propositionibus etiam distinctiùs Eminentissimi ac Reverendissimi Cardinales die 23. Aprilis 1654. Decreto speciali in Congregatione habitâ coràm Innocentio X. testantur quod idem Pontifex suâ constitutione editâ prid. Kal. Junii 1653. *Condemnavit in quinque Propositionibus Augustini Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis doctrinam*, non tantùm verba materialia ex eo decerpta.

Alterum est ipsius Innocentii testimonium in Brevi ad Archiepiscopos, & Episcopos Galliæ dato die 29. Septemb. 1654. *Ubique servari*, inquit, *curent omnes Pastoralis officii administri constitutionem nostram, quâ die 31 Maii*

1653.

1653. *damnavimus in quinque propositionibus Cornelii Jansenii doctrinam ejus libro contentam, cui titulus Augustinus.*

Ex celeberrimâ constitutione Alexandri VII. A. 1656. 17. Kal. Novemb. operæ pretium est præcipuam partem hîc referre: „Cum autem, sicut accepimus, nonnulli „iniquitatis filii prædictas quinque Proposi„tiones vel in libro prædicto ejusdem Cor„nelii Jansenii non reperiri, sed fictè & pro „arbitrio compositas esse, vel non in sensu „ab eodem intento damnatas, fuisse, asse„rere magno cum Christi fidelium scandalo „non reformident; Nos qui omnia, quæ „hac in re gesta sunt; sufficienter & attentè „perspeximus, utpote qui ejusdem Innocen„tii Prædecessoris jussu, dum adhuc in mi„noribus constituti Cardinalis munere fun„geremur, omnibus illis congressibus inter„fuimus, in quibus Apostolica Auctoritate ea„dem causa discussa est eâ profectò diligentiâ „quâ major desiderari non posset; quamcum„que dubitationem super præmissis imposte„rum auferre volentes, ut omnes Christi fi„deles in ejusdem fidei unitate sese conti„neant, ex debito nostri Pastoralis Officii ac „maturâ deliberatione præinsertam Innocen„tii Prædecessoris nostri Constitutionem,

De-

„Declarationem & Definitionem harum ſe-
„rie confirmamus, approbamus, & inno-
„vamus, & quinque illas propoſitiones ex
„libro præmemorati Cornelii Janſenii Epiſ-
„copi Iprenſis, cui titulus eſt Auguſtinus,
„excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio
„Janſenio intento damnatas fuiſſe Definimus
„& Declaramus, & uti tales, injuſtâ ſcili-
„cet eâdem ſingulis notâ, quæ in prædicta
„Declaratione & Definitione unicuique illa-
„rum ſigillatim inuritur, iterum damnamus
„ac eundem librum ſæpè dicti Cornelii Jan-
„ſenii, cui titulus Auguſtinus, omneſque
„alios tam manuſcriptos, quam typis editos
„& ſi quos forſan impoſterum edi contige-
„rit, in quibus prædicta ejuſdem Cornelii
„Janſenii doctrina, ut ſuprà, damnata de-
„fenditur vel adſtruitur, aut defendetur &
„adſtruetur, damnamus itidem atque prohi-
„bemus."

Non de ſe ſolo edicit Alexander, quod damnet propoſitiones ſenſu Janſenii, verum etiam teſtis ipſe oculatus eorum, quæ geſta fuerant ſub Innocentio X declarat eaſdem ab iſto quoque Pontifice, eodem ſenſu fuiſſe confixas: ſic enim in prædicta Conſtitutione Alexander præmonet; *licet ea quæ Apoſtolicis Conſtitutionibus* (Innocentii X) *abundè*

dè fuerint definita novæ decisionis, sive declarationis accessione nequaquam indigeant, quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iste latiùs divagetur, promptum Apostolicæ autoritatis remedium censuimus non esse differendum.

Excanduit autem vehementer zelo sancto succensus Pontifex cum his nequidquam obstantibus asserentes audivit Vicarios Eminentissimi Cardinalis de Rets Archi-Episcopi Parisiensis tantùm fuisse propositiones quinque damnatas secundùm se, non autem in sensu Jansenii. Sic eos temeritatis, ac mendacii redarguit A. 1661. 1 Augusti: *Non sine magna profectò admiratione, justo animi dolore, quo paterna viscera commoveantur, publicatum vestro nomine die 5 Junii anni hujus edictum perlegimus, in quo sanè inprimis non minùs temeraria, quàm mendaci narratione profertur, tempore felicis recordationis Innocentii X. non aliud actum fuisse, quàm inquisitum an propositiones illæ 5 de gratia veræ & Catholicæ, an potius falsæ, & hæreticæ censendæ forent* (prout jacent à circumstantiis separatæ) *cum eo planè tempore nedum de propositionibus ipsis cognitio habita fuerit, verùm* QUÒD E JANSENII LIBRO, AUGUSTINUS, NUNCUPATO, EXTRACTÆ ESSENT, ET ITA IN

SEN-

SENSU AB EODEM JANSENIO INTELLECTÆ DAMNATÆ, UTI NOS IPSI CONSTITUTIONE NOSTRA 17 KAL. NOV. 1656 LUCULENTER, EXPRESSE DECLARAVIMUS.

An fortè temerè in tanti momenti negotio à Pontificibus processum, an prætermissæ in rebus gravissimis adhiberi solitæ deliberationes, nimis facilè creditum Jesuitis Jansenii æmulis, in propositionibus quinque sensum Jansenianum fraudulenter comminiscentibus absurdissimum, & meritò damnabilem?

Objectionem commentitiam, & à Jansenianis nullo argumento excogitatam, summo verò Sedis Apostolicæ contemptu libellis pluribus insertam, sparsamque in vulgus diluit disertissimè testis omni exceptione major Cardinalis Albitius lib. de Inconstantia in fide c. 3. n. 26.

Quæ quidem, inquit, *diligentia me assistente Assessore supremæ, & universalis Inquisitionis „Romanæ, & maxima quidem adhibita fuit cum „sanctæ memoriæ Innocentius X ad condemnationem „5 propositionum ex Augustino decerptarum deve„nit. Non enim contentus fuit, quod in pluribus „Congregationibus habitis coram Emin. Et Reve„rendissimis supremæ universalis Inquisitionis Car„dinalibus Inquisitoribus, sententiæ Doctissimorum „Theologorum Qualificatorum, Ordinariorum, „adhibitis etiam extraordinariis qualificatoribus ex-*

„quirerentur: sed ipsemet Innocentius per plures dies „eorumdem Theologorum qualificatorum sententias „cum patientia audivit, & coram se, Cardina- „libus Inquisitoribus, & Theologis qualificatoribus „quemdam Abbatem de la Lane, aliosque Do- „ctrinæ Jansenianæ fautores admisit, Votaque Theo- „logorum qualificatorum in scriptis redacta magno „studio, & diligentiâ perscrutatus fuit, aliisque „Eruditiss. viris in Consilium adhibitis, ac indi- „ctis per Ecclesias urbis supplicationibus tandem in „pervigilio Pentecostes ad condemnationem prædi- „ctarum 5 propositionum devenit, afflante equidem „Spiritu sancto cujus assistentia in gravissimo ne- „gotio semper evidentissimè apparuit.

Quod Eminentissimi Albitii testimonium retulit Cardinalis de Aguirre Theologiæ S. Anselmi Tom. 3 edito Romæ A. 1690 Prolegomeno 5 indignabundus exclamans: *Eant nunc quicumque aliter sentiunt aut loquuntur, vel scripturiunt de examine, discussione, & consultationibus præparatoriis ad eam definitionem edendam, quâ nullam umquam diutiùs, aut attentiùs Roma meditata fuit;* Suspicentur Jansenistæ cum suo Paulo Irenæo pag. 230 librum Petavii pro Jansenii libro Innocentio X obtrusum fuisse, jactent cum suo Lovaniensi Baccalaureo in strena veritatis A. 1680. pag. 49. *Quod si Pontifex illas omnes quinque propositiones*

viderit in opere Jansenii , viderit certè in exemplari eum ob finem corrupto , ut aliàs factum est.

Vociferentur cum suo P. F. Eugenio Gelder seditioso nuper Evangelii Janseniani apud Lovanienses præcone , infeliciore scriptore in suo libello cui titulus: *Ultima vox zelantis Innocentiæ* A. 1689. pag. 30. Urbanum VIII, Innocentium X; pag. 31 Alexandrum VII fuisse deceptos , somniat hic pag. 33 se *audivisse ex viro fide dignissimo .... (is fuit Pastor in Leefdael) qui idipsum ,* inquit , *mihi referebat ex proprio ore Exim. Lupi attestantis , quod Alexander VII ipsi protestatus fuerat illas ipsas 5 propositiones totidem verbis se legisse in prædicto Jansenii libro , in una & eadem pagina , quod certè sine apertissima deceptione , & istius libri falsificatione omninò fuit impossibile.* Quomodo omnes propositiones in una eademque pagina vidit Pontifex , si obtrusus ei fuerit liber Petavii ? Certè non sic reperiuntur apud Petavium , imò omnes , qui in Janseniana Historia non planè peregrini sunt , norunt Petavium 5 propositionum fuisse impugnatorem acerrimum , bellis contra Jansenianos nobilem. Quid ni verear , ne sententiarum interpretes tam acuti Tractatum hunc nostrum in Jansenismi patrocinium aliquandò adducant?

Exi-

Eximium P. Lupum tam enormis mendacii reum negant ejus ex eadem familia Augustini Discipuli, aiunt eum autoritatis Apostolicæ vindicem propositiones in Jansenio rectè damnatas agnovisse, quidquid olim de eo speraverant Janseniani cum Doctorali laurea jam decorato applausêre occinentes festivo carmine, Patriam ejus Ipras non solo Antistite Cornelio Jansenio, sed etiam Doctore suo Eximio Lupo, gratiæ scilicet Augustinianæ vindice gloriari. Uter illorum tinxerit, alii quorum interest despiciant.

Intereà mirari liceat Pseudo-Augustinianorum inpudentiam, qui cum suo Baccalaureo D. Gery in Apologia Historica censuræ Lovaniensis, & Duacenæ ab ipsis Duacenis Doctoribus A. 1690. 21 Januarii meritò censuratâ, persuadere conantur simplicioribus *omnes, quos Molinistæ Jansenistas vocant, vix ullum edere tractatum, in quo non præbeant illustre aliquod erga Apostolica Decreta, atque imprimis erga Constitutionem Innocentii X specimen observantiæ.* Damnat Constitutione illâ Pontifex *in quinque propositionibus Augustini Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis doctrinam*, ut Eminentissimi Cardinales in Congregatione Inquisitionis universalis coràm ipso Innocentio X approbante declarant, & Innocentius

 ipse

ipse verbis suprà citatis testatur. Jansenistæ verò ad unum omnes negant mordicùs doctrinam Jansenii damnatam, aut certè rectè damnatam, cespitante Pontifice in quæstione facti.

Hæc est religiosa submissio, hæc reverentia, quâ colunt Apostolicam Sedem, sed ea magis elucescet ex sequentibus. Altùm silere solent de Constitutione Alexandri VII, quia nimis apertè damnat Jansenii sensum, undè sperant eam aliquando abrogandam, imò id jam indè præstitum sparsere pridèm Leodii, Lovanii, & in vicinis Belgii civitatibus, occasione cujusdam Brevis Pontificii ad Lovanienses transmissi, de quo plura, ubi ostendam Jansenismum non fuisse merè imaginarium, Alexandro VII Ecclesiam moderante.

CAPUT VIII.

Discernitur quæstio facti à quæstione juris. Hæc potissimum controvertitur; propter hanc Jansenistæ appellantur non propter illam solam.

SCripseritne aliquando Cornelius Jansenius Episcopus Iprensis librum; cui titulus

tulus *Augustinus*, an verò alius nescio quis nomine Jansenii, non juris, sed facti quæstio est, quod nemo negaverit. Sic & mera facti quæstio est, an, si Jansenius librum composuisse supponatur, in charta expresserit animi sui sensum, an non ubique mentitus, à mente sua scripserit omnia prorsùs aliena, sive æmulationis studio, sive ut quos oderat Scholasticos, dejiceret, sive ut nomen suum novitatibus redderet immortale. Denique supposito quod Jensenius famosum volumen scripserit ex animi sui sententia, super est facti, & non juris quæstio an non fortè malignus quispiam pro Jansenii volumine, aliud Pontifici obtruserit, ex quo propositiones collectæ sint.

Verùm quidquid unus alterve somniet aut deliret, non in his vertitur cardo quæstionis. Et quo fundamento, quâ veri specie vocetur in dubium, quin famosum volumen Jansenii sit, & sensum animi seriò explanantis? Quin illud ipsum volumen sit, quod innumeris per Europam exemplaribus distractum versabatur in omnium manibus, Urbano VIII. & S. Inquisitioni ad censuram oblatum, rursùs ab Innocentio X, ab Eminentissimis sub ipso Cardinalibus, à doctissimis Romæ Theologis, tanto tempore, tanto molimine, ac stu-

ſtudio diſcuſſum, ut cum propoſitionibus in crimen vocatis conferretur? Idem Janſenii Auguſtinus, quem diligentiſſimè examinatum exagitarunt tot illuſtres DD. Sorbonici, tot Galliæ Epiſcopi, Archiepiſcopi, Cardinales, ex quo decerpſere quinque Articules, quos Apoſtolica Sedes anathemate proſtravit?

Quo jure, quâ ratione ejuſmodi fraudem affingamus præcipuis Doctoribus, quos ad Pontificem Epiſcopi Galliæ & Sorbona ablegarunt? Siccine Pontifices, ſic omnes S. Inquiſitionis Cardinales bardos credis aut ſtipites qui tàm facilè illudi ſibi patiantur? Et quanta eſſet Theologorum iſtorum temeritas fraudem parare, quæ tam levi ſtudio detegi poſſet, detecta graviſſimis pœnis ſubjiceret infames ſuos architectos! Quam facilè in manus alicujus Cardinalis aut Conſultoris Theologi incideret exemplar aliquod genuinum?

Quomodo ab A. 1641, quo Urbanus VIII Janſenii librum condemnavit, ut defendentem Propoſitiones anteà damnatas, uſque ad Annum 1653, quo in quinque Propoſitionibus Auguſtini Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis doctrina diſtinctiùs condemnata eſt, liber ipſe A. 1654. iteratâ proſcriptione confixus, quomodò tam ſagacium Janſeniſtarum

rum nullus dolum subodoratus Romanam curiam moneri curavit? Hoc pacto autoritatem & famam omnem adversariis suis in perpetuum abrogasset. Quis tam socordes credat Jansenistarum ad Innocentium X. Legatos DD. Natalem de la Lane, Tussanum Des Mares, Ludovicum de S. Amour, Nicolaum Manessier, Doctores Sorbonicos, & Ludovicum Angran ejusdem Facultatis Licentiatum, ut tam insignem rei conficiendæ prætermisissent opportunitatem?

At D. de S. Amour Jansenium numquam legerat, ut testatus est Eminentissimo Cardinali Barberino. Credite Posteri, Doctorem Sorbonicum duorum & ampliùs annorum spatio quo tanta utrimque contentione, tot scriptis, & libris Jansenii causa Parisiis agitabatur, famosum volumen ne inspexisse quidem, Doctorem, inquam, Sorbonicum, non aliquem de Jansenistarum grege, sed Antesignanum, quem ad communis causæ defensionem Jansenianí Episcopi, & Doctores legatum delegerunt, qui fortunas, qui famam, & penè libertatem Jansenio consecravit; nec enim Theologis istis semper tutis esse Romæ licuit, fatente ipso D. de S. Amour in suo volumine, cui titulus: *Journal de ce qui s'est fait à Rome dans l'affaire des*

cinq propositions, parte 2. c. 11. & ſubducere ſe quandoque Româ coactus eſt metu carceris, uti & D. Carolus Herſent Concionator Regis ordinarius, & Eccleſiæ Cathedralis Metenſis Cancellarius.

An neque hic viderit Janſenium, qui propter ſparſam Romæ ejus doctrinam à S. Inquiſitione citatus, maluit fugâ ſibi conſulere, quàm ſe committere examini, poſtquam Regis Chriſtianiſſimi legatus lenire animum Pontificis fruſtrà tentaſſet? Certè oſtendit ſe in Janſenio non parùm verſatum ſcribens ſuam *Aviti Aurelii Molinomachiam*, in qua Auguſtinum Janſenii, præſertim illud, *ſed quid ad Doctrinam Auguſtini? Hæreo fateor*, ex inſtituto omnibus viribus propugnat.

An Janſenium non legerant Abbas Hilarion Ordinis S. Bernardi, an P. Lucas Wadingus Franciſcanus, S. Officii Conſultor, qui ſi D. de S. Amour credimus referenti part. 2. c. 11 propter Janſeniſmi ſuſpicionem moniti ſunt, ut abeſſent à congregationibus in quibus cauſa Janſenii ageretur? An Neo-Auguſtinum non legerant D. de la Lane, & tres reliqui legationis Socii, an tempus non habuêre, vel in ipſa urbe aliquid de fraude inaudiendi toto ſaltem biennii, quo Romæ ad Janſenii defenſionem commoratus eſt D. de

S. A-

S. Amour submissis interim ex Gallia auxiliaribus copiis?

Saltem aliquis fraudem detexisset ante A. 1656, quo Constitutione *ad sacram* sensus Jansenianus distinctiùs ab Alexandro VII fulguritus est, & liber rursum confixus. Denique saltem aliquis imposturam aperuisset A. 1664, quo *Archi-Episcopis, Episcopis, nec non aliis, quibuscumque Ecclesiastici Ordinis tam regularibus, quam sæcularibus, etiam Monialibus, Doctoribus, Licentiatis, aliisque Collegiorum Rectoribus, atque Magistris distinctè mandavit* Alexander VII ut subscriberent formulæ, quâ *quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus excerptas, & in sensu ab eodem autore intento prout illas per dictas Constitutiones* (Innocentii X, & Alexandri VII) *Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicerent, ac damnarent, ità jurarent per Deum, & SS. Dei Evangelia.*

Quam multa tum temporis excogitarunt effugia, quos non obvolverunt juramento obices, quos non moverunt scrupulos simplicioribus, ut P. Francisco Annato anno hujus sæculi 65 opus fuerit tractatu integro præscribere *remedia adversùs scrupulos, qui impediunt ne formulæ subscribatur.* At nemo fraudem corrupti exemplaris, aut suppositi libri

Petavii impedimentum objecit, omnium profectò futurum longè efficacissimum, si aliquod veritatis specimen præ se tulisset. Sed quid tam apertè falsis operosè confutandis mihi, & Lectori pario fastidium; cum ne Paulus quidem Irenæus figmentum hoc adstruere ausus sit nisi timidè, & velut inanitatem suspicionis erubescens dicat, FORTASSE *quemquam suspicari posse librum Petavii pro Jansenii libro Innocentio X fuisse obtrusum?*

Similiter infamis Pontificum, Regis Catholici, Regiæ Matris & religiosorum Ordinum, etiam sui calumniator Eugenius Gelder testatus tantùm est se audivisse ex Pastore quodam rurali quasi dictum à P. Lupo, quod viri illius Eximii Collegæ & Discipuli dictum pernegant, cum Jansenii doctrinam rectè damnatam semper agnoverit, ut suprà monui. De quo si quis dubitet adeat PP. ac MM. Pauwens, Clenaerts, Desirant ejusdem Ordinis religiosos ac S. Theologiæ Doctores.

Factum hoc quamvis perspicuum, si quis mordicùs negaverit, contendens pervicaciter volumen quoddam suppositium Pontificibus Urbano VIII, Innocentio X, Alexandro VII, Eminentissimis S. Officii Cardinalibus, & Theologis Consultoribus obtrusum fuisse, temeritatis quidem non tolerandæ, &

inep-

ineptiæ viro indignæ reum dicerem, non tamen illicò hæreticum, si propositiones in sensu proprio, obvio, & prout in libro, qui S. Congregationi & Pontificibus obtrusus est fateatur hæreticas.

Favebo Jansenio & Jansenistis etiam magis. Assèro neque hunc mihi hæreticum esse, qui existimarit infelicem Antistitem terminis non satis aptis exposuisse sententias, quas animo fovebat Orthodoxas. Pontifices quidem judicasse de autoris sensu ex verbis in communi & obviâ significatione acceptis prout liber Jansenii præ se ferebat, at Jansenium sensum suum aliter, quàm vellet expressisse ut quandoque fit in scriptoribus Latini idiomatis non satis gnaris, quamvis id in Jansenio locum non habuisse satis exploratum sit.

Sed alia est juris quæstio, perperàm facti appellata, quæ magnum chaos statuat Jansenistas inter eorumque adversarios: An propositio, quæ aliquo sensu, ut omnes fatentur, in Jansenii Augustino reperitur, prout indubiè reperitur propositio inter quinque famosas 1. an, inquam, hæc sit hæretica in sensu istius libri prout attenditur cum circumstantiis, quibus annexa est. Quæro ex nostris Neo-Augustinianis sitne quæstio facti an juris, num hæc propositio; *Aliqua Dei præcepta justis ve-*

volentibus & conantibus secundum præsentes, quas habent vires sunt impoßibilia; deest quoque gratia quâ poßibilia fiant, in sensu obvio & connaturali sit hæretica? Respondere coguntur esse quæstionem juris, quod si negarent, nullo negotio probaretur; dependet enim ejusmodi quæstionis decisio, à cognitione institutionis & significationis vocum, quæ institutio, & varia pro circumstantiarum diversitate significandi vis ad jus pertinet, nisi quaslibet fidei quæstiones ad quæstiones facti relegare tandem sit animus.

Quæstione juris stabilitâ circà propositionem solitariam, eâdem applicatâ ratione ad jus pertinebit quæstio de sensu totius libri, sit ne orthodoxus an hæreticus: Quæ enim pro enuntiatione unâ militat ratio, facit pro centenis & libro integro; aut disparitas ostendatur. Non ostendent autem adversarii. Et quomodo alioqui non erit facti quæstio an doctrina Augustini Catholica sit, si inter meras facti quæstiones numeretur an doctrina Jansenii sit hæretica? Utrobique non una est sententia à circumstantiis & sensu autoris divulsa, sed quas ex Augustino Ecclesia desumpsit propositiones Augustini sensu definivit sententiâ infallibili non quidem prout Augustinus eas mente concepit, hìc enim occur-

currit facti quæstio quid Augustinus cogitarit, sed prout eas libro in sensu obvio & connaturali expressit.

Denique si ad jus pertineat an sententia prout in libro aliquo expressa est iis vestita circumstantiis sit Catholica, vel hæretica, pari ratione ad jus attinet an propositio hæretica expressa in constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII; V.G. hæc; *aliqua Dei præcepta hominibus justis, &c.* faciat æquè sensum hæreticum ut jacet in libro Jansenii, ac facit ut continetur Pontificio diplomate.

Similiter juris quæstio est an propositiones cæteræ, etiamsi non secundùm omnes verborum apices reperiantur in Jansenio ut in Bullis Apostolicis, in eandem nihilominus sententiam colliment, imò eundem sensum hæreticum complectantur. Hæc quæstio est, quam potissimum definit Ecclesia de Janseniano sensu: in hâc falli nesciam ejus censemus autoritatem.

Ad factum quod attinet circà sententiam quam animo reconditam gessit vel non expressit satis in libro undè propositiones desumptæ sunt, non judicare Ecclesiam judicio planè infallibili, sententia plurimorum est, ob quam solam neminem hæresios insimulaverim si aliundè constet de recto ejus sensu in

quæ-

quæſtionibus dogmaticis. Sed non hìc ſiſtit noſtra cum Janſenianis controverſia.

Aiunt Pontificem à Janſenii æmulis malè de ſenſu ejus edoctum exiſtimaſſe quod famoſæ propoſitiones hunc in Iprenſi Auguſtino ſenſum horridum & hæreticum continerent. *Aliqua Dei præcepta ſunt juſtis quantumvis ardenter volentibus & conantibus ſemper impoſſibilia. Gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur, nequidem reſiſtentiâ inefficaci, & quæ virtute gratiæ ſuperetur*, ſicut Pigmeus reſiſtit Giganti, aër motui progreſſivo animalis, lapis impetui. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate nequidem naturali*, qualis eſt in lapide cadendi deorſum niſi ſuſtentetur, in bruto & puero, qui non agunt deliberatè & ex ductu rationis, in adulto reſpectu motuum concupiſcentiæ, quos vocant primò primos, qui oriuntur etiam contrà voluntatis imperium, ubi Janſenius non aliam neceſſitatem cum merito & demerito copulavit, quam quæ vel ex gratiâ medicinali inſuperabiliter efficace, vel ex concupiſcentiâ ardentiore naſcitur, quæ quidem à voluntate in his circumſtantiis domari non poteſt, ſed quæ judicium rationis non excludit, nec deliberationem.

Circà quartam propoſitionem credere nos

Jan-

Janſeniſtæ volunt, quod exiſtimarit Pontifex ſenſum Janſenii eſſe, quod *qualibet gratia præveniens & excitans habeat effectum, ita ut voluntas non poſſit ei diſſentire ſi velit*, quod profectò Janſenio falſum eſt, cum ſi vellet voluntas diſſentire, diſſentiret hoc ipſo; & quamvis gratiæ medicinali diſſentiri non poſſit juxtà Janſenium, tamen gratia excitans non omnem obtinet effectum, ad quem excitat, ſed tantùm eum ad quem verè ſufficit.

Deniquè juxtà quintam propoſitionem induci ſe paſſa eſt Apoſtolica Sedes ut crederet Janſenium docuiſſe quod Chriſtus ità pro ſolis electis mortuus ſit, ut illi ſoli fidem & juſtitiam conſequantur, quaſi verò nulli ſint fideles, nulli juſti, niſi qui in finem uſque perſeverant.

Hæc dogmatum portenta dum propoſitionibus iſtis apud Janſenium contineri perſuaſum eſt Pontificibus, damnavere doctrinam quinque Propoſitionum, & quidem in eo ſenſu Janſenii, à quo reverâ autor fuit alieniſſimus.

Ità ſcilicet omnium oculi caligant in ſcrutando fulgore illo doctrinæ Auguſtinianæ: non Summi Pontifices, non Eminentiſſimi S. Officii Cardinales, non perſpicaciſſimi Conſultores Theologi ſenſum Iprenſis Anti-

ſtitis aſſecuti ſunt, omnes in eo talpis fuêre cœciores: ſoli ejus diſcipuli oculos hic habent lynceos, quibus convenit illud Hieronymi in Epiſt. ad Domnionem, ubi ridens Monachum Joviniani diſcipulum, *idcircò*, inquit, *ſe eruditum putat, quia Jovinianum ſolus intelligit: eſt quippe proverbium Balbum melius Balbi verba cognoſcere.*

An non vident inſignes illi Neo-Auguſtiniani, ſic omnem quæſtionem juris pariter ab hæreticis poſſe eludi? Quid ni enim pariter fingant Pontificem, neſcio quem alium ſenſum in mente habuiſſe abſurdiſſimum, quem præ ſe ferre Propoſitiones illas à Theologis intellexerit, illum damnaverit, non qui reverâ obvius eſt & donnaturalis? Sic propoſitiones omnes materiales, quas tum Alexander VII tum Innocentius XI proſcripſère, prout jacent ſuſtineri poterunt, modò quis pro arbitrio fingat ſenſum alium, quem dicat fortè Pontificem in mente habuiſſe, eumque ſolum voluiſſe proſcriptum.

Quemadmodum igitur ſecundùm adverſarios, ſi Apoſtolicæ Sedis, vel etiam Conciliorum judicium infallibile admittant in quæſtionibus juris, reſpondere coguntur, quod, quidquid Pontifices & Concilia in mente concipiunt cum ad definitionem ſe accingunt

aut

aut etiam reipsâ definiunt, non possint in quæstionibus juris definire aliter quam res habet, non possint definire Propositionem esse hæreticam, prout jacet, si in sensu legitimo & connaturali sit vera, licèt illi sensum quemdam inesse existiment absurdissimum, qui reverâ hæreticus sit, sed à Propositione prout jacet, alienus; ità quidquid sive Pontifex, sive Concilia, quomodocumque doctrinam alicujus libri in mente depingant, eamque concipiant sensu impio ac reverâ hæretico, non tamen illam possunt ut libro aliquo contentam damnare hæresios, si reipsâ Catholica sit, alioqui erraretur in dogmatis definitione: & quisquis ejusmodi constitutioni fidem negaverit, non factum modo destruxisse, sed Ecclesiæ doctrinam abdicasse censendus est. Nam licet concessero, quæstionem facti esse, quem Pontifex vel Concilium in mente conceptum abditum fortè tenuerit; non tamen facti quæstio est quem sensum habeat definitio prolata, & an doctrina libri sit hæretica in sensu connaturali & obvio, quem ejus verba præ se ferunt, sicut non est quæstio facti, quem sensum complectatur propositio solitaria. Atque adeò neque est facti quæstio an Propositiones V. ut jacent habeant sensum hæreticum solitariæ
 ac-

acceptæ ità & an ſenſum habeant eundem quem propoſitiones Auguſtini Janſeniani, & an hæ etiam hæreticæ ſint, ut fatentibus adverſariis ſunt ſecundum ſe & avulſæ à circumſtantiis libri.

CAPUT IX.

Infallibile Sedis Apoſtolicæ judicium de quinque Propoſitionibus Janſenii ut hæreticis in ſenſu ejus Pſeudo-Auguſtini.

JUdicium Pontificis extrà Concilium eſſe falli neſcium, in quæſtionibus fidei & morum longè communior eſt Doctorum ſententia. Si verò ad Pontificis definitionem Eccleſiæ conſenſus & approbatio acceſſerit, nullus eam Catholicus errori obnoxiam eſſe ſuſpicabitur. De quinque Propoſitionibus ſupremâ quâ pollet poteſtate Sedes Apoſtolica ſententiam tulit. Hanc ſuſcepêre omnes, quâ par eſt reverentiâ Regnorum & Provinciarum omnium Epiſcopi, pauciſſimos Janſenio pertinaciter adhærentes excipe, ut ſemper aliqui ſtatutis etiam Conciliorum generalium obluctantur, quorum contumacia dum cæ-

terorum multitudine opprimitur, Catholicæ definitionis robur non infringit.

Æquam esse sententiam circà propositiones quinque, omnes fatentur, & fassi sunt jampridem Jansenistæ ut testantur Galli Archi-Episcopi sex, Episcopi suprà triginta A. 1654. 28. Martii in Epistolâ ad Innocentium X. *Quinque etenim Propositiones*, inquiunt, *decreto illo proscriptas damnare se quoque profitentur, sed alio planè sensu quàm qui à Jansenio traditus & explicatus est.*

Quis nesciat celebrem illam, Jansenistis omnibus usitatissimam distinctionem, ubi de damnandis jussu Pontificis Propositionibus agitur, *dogmatibus fidem*, inquiunt, *facto reverentiam præstamus.* Vix aliis hodie vocibus occasione juramenti quod Episcopi Belgæ saluberrimò consilio cœperunt exigere, Lovaniensis Academia personat & vicinæ civitates. Hâc præmissâ juramenti sui interpretatione non dubitabunt plerique subscribere formulæ Alexandri VII.

Provocant nos in libello; *Doctrinæ Augustinianorum Theologorum, &c.* sub finem anni 1689. edito pag. 29. ut vel unum nominemus, sive in Belgio sive in Galliâ Theologum aut quemvis alium, qui hæc monstra opinionum unquam docuerit. Idem scripsit Arnaldus

plus quàm à quadraginta annis in Epiſtolâ cuidam perilluſtri ſcriptâ, jactavitque Propoſitiones condemnatas nullius eſſe autoris.

Oppoſitum teſtatur Innocentius X in Brevi A. 1654. 21. Martii ad Doctores Duacenos; *Miſit cœlitùs manum ſuam*, inquit, Pontifex, *ac tetigit os noſtrum Dominus, cujus verbo cœli firmati ſunt, ut de qainque propoſitionibus hactenùs controverſis panderemus fidelium mentibus Eccleſiæ Catholicæ ſenſum.* Et in alio Brevi ejuſdem anni, & diei ad Valentinum Raudour Doctorem, ac Profeſſorem, ejuſdem facultatis; *quæcumque*, inquit, *ex Eccleſiæ Catholicæ ſententia decrevimus nuper de quinque propoſitionibus, quibus jam diu anteà controverſis fidelium animi in ingens ſalutis diſcrimen vocabantur, judicia ſanè oris Dei fuerunt.*

Si Janſeniſtis credimus nulla fuit de iis controverſia, in nullum ſalutis diſcrimen vocabantur fidelium animi per ejuſmodi propoſitiones; cum *nullus eas tenuiſſe, vel docuiſſe in Gallia, aut Belgio*, quod tamen Janſeniſmi Sedes creditur, *unquam deprehenſus ſit.*

Redeo ad recentiores Pſeudo-Auguſtinianos in expoſitione nupera doctrinæ Auguſtinianæ pag. 30. *ſua ſtat*, inquiunt, *quoad nos fidei Catholicæ puritas, quam novus error nullus*

cer-

corrumpit, sua unitati Catholicæ integritas, quam nulla secta descindit, sua Apostolicæ Sedi reverentia, cujus Constitutiones nemo labefactat, nemo temerat, nisi qui fingit non nullos imò plurimos esse in ipso Ecclesiæ sinu, qui illis obluctentur, quinque errores ab illa primaria Petri Sede damnatos pro damnatis non habeant, cum econtrariò omnes ad unum Catholici (inter quos ipsi se numeratos volunt) *ac præ omnibus Theologi Augustiniani* (sic dicti ab Augustino Iprensi) *illorum damnationem promptissimâ, & concordissima obedientiâ amplexi fuerint.*

Imò, & in præfatione ad Alexandrum VIII, & omnes Christianos Principes sic protestantur: *Discipuli S. Augustini, quos invidiosè Jansenistas vocant* (quasi nulli vocentur Jansenistæ præter veros S. Augustini Discipulos) *ad compescendos quantùm in ipsis est calumniosos rumores, & obstruendum os loquentium iniqua, palàm, & publicè profitentur, proclamant, atque contestantur* (quis non credat?) *Quoscumque in famosis quinque propositionibus errores Constitutionibus suis damnarunt Innocentius X, & Alexander VII summi Pontifices, eos se ex animo & semper damnasse quocumque tandem in libro, à quocumque Scriptore asserti reperiantur.*

Bene habet; igitur damnate doctrinam, quæ reperitur in Augustino Jansenii. Nam pro-

propositiones illic existere, sensu aliquo suprà ostensum est, neque vos ignoratis, & professi fuerunt Commilitones vestri. Hunc verò esse ipsum propositionum sensum, quem damnat Ecclesia; patet Constitutiones Apostolicas, leviter tantum inspicienti. Et verò si Ecclesia non sit infallibilis in judicando sensu libri hæretico, vel Catholico; non erit in judicando sensu propositionum singularium, neque infallibile umquam judicium feret de sacris Bibliis sintne genuina; an spuria & supposititia.

Quemadmodum igitur judicium Ecclsiæ ab erroris periculo immune censetis, quoties declarat, ac definit sensum propositionis unius esse, vel hæreticum, vel Catholicum, cum id spectet ad quæstionem juris, eadem ratio probat, neque errori obnoxiam esse Ecclesiæ sententiam, dum censet librum E.G. Augustini Jansenii, atque propositiones 5. hæresim complecti, verba libri facere sensum æquivalentem istis propositionibus, vel etiam eundem, denique illum subesse sensum verbis illius libri. Sicut si verbis paululùm immutatis exprimam sententiam aliquam Scripturæ Sacræ, vel libri, qui passim creditur Augustini, decernere potest Ecclesia judicio infallibili propositionem hanc esse fidei in-

sen-

ſenſu Sacræ Scripturæ, & in ſenſu libri, qui paſſim creditur Auguſtini, ſive intereà Auguſtini ſit, quod eſt moraliter certum, ſive non ſit Auguſtini, ſed ſuppoſititus.

Fateamur pariter monſtra illa quinque opinionum, ut ea vocare non dubitant Neo-Auguſtiniani, fateamur inquam damnata eſſe judicio erroris experte, hæretica eſſe eo ſenſu, quem liber *Auguſtinus*, qui Janſenii nomine circumfertur in ſe continet; eſt hæc enim non facti, ſed juris quæſtio, ut jam demonſtratum eſt. Captivemus intellectum in obſequium fidei. Non recurramus ad inanes argutias, & filiis iniquitatis proprias cavillationes.

Clamant Adverſarii rem hanc eſſe impeditiſſimam, & maximè implexam; quid enim, inquiunt, magìs vagum, quam propoſitiones 5 definiri hæreticas in ſenſu Auguſtini Janſeniani operis tam vaſti, tam multas huc ſpectantes ſententias, tam varios ſenſus complectentis? Quid iniquum magis, quâm à nobis exigi, ut credamus, imò ut juremus hæreticas eſſe propoſitiones in ſenſu Auguſtini Iprenſis, & ſimul nobis intentatâ pœna anathematis prohiberi ne librum legamus, ex quo diſcendum foret, quis Auguſtini illius ſenſus ſit, qui proſcribitur?

Hoc

Hoc olim ratiocinio Arnaldi asseclæ movebant simpliciorum mentes præsertim Monialium, absterrebant à susceptione formulæ Alexandrinæ. Sed ne quæso nodum in scirpo quæramus. Nonne prolixiora multò sunt, & sublimiora opera magni Ecclesiæ Doctoris S. Augustini, quàm Jansenii? Illius tamen sententias omnes non retractatas præsertim de gratia, prædestinatione, & libero Arbitrio canonizatas esse ab Ecclesia, judicium hoc esse infallibile persuadere solebatis rudibus, quidquid modò aliter necessitate urgente statuitis. Leguntne illi omnes Augustinum, ut judicare queant, quis ille sensus ejus Doctoris sit, quem Ecclesia probat? Quid si legere quis nesciat an ei scrupulum movebitis ubi admittet sententias Augustini operibus contentas esse Catholicas? Cur igitur scrupulus moveatur sic credentibus sententias Augustino Jansenii contentas esse à fide alienas? Quid ni alioqui iisdem terrorem incutitis, ne, quas Ecclesia sententias definit esse conformes, vel contrarias sacris paginis, fidem definitionibus præstent rudiores qui nec linguarum sacrarum pollent peritiâ, nec sinuntur, vel fortè nequeunt linguâ vernaculâ scriptos codices legere? Credant modò rudiores illi nulla Dei præcepta esse

im-

impoſſibilia juſtis volentibus & conantibus, &c. credant quoque contradictorium Propoſitionum cæterarum in ſenſu obvio & connaturali, de ſenſu autem Janſenii ſeu libri qui Janſenio tribuitur, credant eum eſſe hæreticum ſicut credunt ſententias Auguſtini de Gratiâ prædeſtinatione, &c. contrà Pelagianos eſſe Catholicas, licet quænam illæ fuerint diſtinctiùs non concipiant. Imò & omnem ſenſum Scripturæ Sacræ credimus eſſe divinum, licèt ſenſus maximè varios ne doctiſſimi quidem aſſequantur. Credimus libros quos Eccleſia nobis proponit tanquam Verbum Dei continentes, reverà divinos eſſe, & Scripturam Sacram, adeoque doctrinam illis contentam in ſenſu eorumdem librorum eſſe Catholicam, licèt ſingulos diſtinctè ſenſus non penetremus.

Non patiar tamen operam hic meam deſiderari, ſed quoniam Janſeniſtæ toties Catholicos provocant ut ſenſum Janſenii damnatum clarè & diſtinctè exhibeant, pareo non invitus ubi ad ſcrupulum de juramento paucis reſpondero.

Si quis verè ſecum ſtatuat doctrinam Auguſtini quoad eos Articulos, quos Eccleſia in Canonem retulit eſſe orthodoxam eo ſenſu, quo in Auguſtini libris, ex quibus excerpta

eſt continebatur, cur jurare nequeat ſine perjurii periculo ſe habere ſenſum Auguſtinianum pro Catholico?

An non etiam jurare auderetis ſenſum Auguſtini & Conciliorum eſſe Catholicum? Si negetis quomodò ſtatuitis eſſe fide tenendum, & Adverſarios Semipelagianiſmi redarguitis tam liberaliter?

Scio nunc quidem negari à vobis quod Eccleſia definire poſſit citrà erroris periculum Canonibus Tridentini contineri doctrinam Catholicam, undè ſequitur nequidem definire Eccleſiam poſſe infallibiliter hunc librum eſſe Scripturam Sacram. Quid igitur tandem in fide erit firmum? Ut definiat Pontifex dogma fidei Scripturas conſulit, & traditionem; quomodo autem ab his dirigi poteſt infallibiliter, ſi non poſſit infallibiliter ſcire hos libros ex quibus traditionem & revelationem debet diſcere, eſſe libros ſanos & Catholicos? En quo vos tandem abripiat Janſeniani ſenſûs retinendi ſtudium & pertinacia, ut ea, quæ maximè juris ſunt & fidei, inter facta incerta ablegetis.

CA-

CAPUT X.

Quis sit quinque Propositionum sensus in Augustino Jansenii proscriptus.

EJusdem potestatis est ut leges, ità & definitiones irrefragabili autoritate interpretari, cujus est eas primùm condere, quod non obest quo minùs uti Jurisperitis, ità & Theologis de legum ac definitionum sensu differere liceat, modò quâ par est observantiâ judicium suum, sicubi forte, quod humanum est, aberraverint, majorum censuræ subjiciant; sic autem meum subjicio non tantùm Apostolicæ Sedi & Eminentissimis Cardinalibus, Episcopis, &c. sed cuilibet Scholæ Catholicæ Theologo. Ad nullam quemquam sententiam inter Catholicos controversam hîc adstrictum volo, non prædico Molinam, Scotistas non abdico, hos inter & Thomistas non discerno, quorum sententia verior sit, Ecclesiæ judicio relinquo. De Jansenii doctrina judicium jam tulit. Hoc veneror, non silentio Janseniano, sed intellectu, & voluntate, corde & ore veritatem

ejus & infallibilitatem profiteor. Verùm rem ipsam aggrediamur.

Ut verè ac sincere quis autoris alicujus mentem eruat, inquiebat nuper Illustrissimus Tornacensium Episcopus Gilbertus de Choiseul ad Eximium D. Jacobum Gilbert S. T. Doctorem & Professorem Duacenum, *necesse est ut totum ejus opus evolvat : si autem aliquandò vel duriùs vel obscuriùs loqui videatur, ad alia clariora loca recurrat ut per eorum analogiam explicetur : Nihil enim injustius quàm ut quædam verba sejungantur quæ si in toto orationis contextu considerentur alium omninò sensum patiuntur, quàm si legantur separata.* Consilium probo. Jansenii sensum ex toto ejus coutextu exquiram, in quo scrutando me versatum esse annos aliquot non oscitanter, profiteor.

Aliqua Dei præcepta justis volentibus & conantibus secundùm præsentes quas habent vires esse impossibilia, deesse quoque eis gratiam quâ possibilia fiant, hoc sensu docet Jansenius, quod justi dum peccant præceptorum omissione, horum observatio sit illis hìc & nunc impossibilis, quamvis velint aut conentur secundùm præsentes tùm liberi arbitrii tùm gratiæ vires; neque possunt efficere ut præceptorum observatio fiat hîc & nunc possibilis; nam neque

que gratiam habent, quâ immediatè illa possint servare, neque habent gratiam, quâ possint mediatè sic ut in eorum potestate sit potentiam immediatam recipere, sive per orationem, sivè non impediendo ne Deus gratiam ulteriorem largiatur. Neque gratia illa excitans Jansenii quæ in justo operatur velle imperfectum, & conatum defectibilem & inefficacem, tribuit potentiam proximam & expeditam ut gratia inefficax Thomistarum, quam illi censent esse verè sufficientem, quia hac positâ nihil deest eorum omnium, quæ se tenent ex parte potentiæ seu actus primi, sed tantùm requiritur potentiæ illius expeditæ applicatio, quæ spectat ad causam primam; & sicut actio creaturæ non tollit potentiam, nec præstat, sed præsupponit, sic quoque servatâ proportione prædeterminatio.

At Jansenius gratiam suam excitantem censet non esse sufficientem; & meritò, quià etiam hâc positâ deest robur necessarium ad superandam concupiscentiæ ardentioris delectationem. Undè licet gratiam suam medicinalem quandoque dicat esse applicationem voluntatis ad agendum, non est tamen mera applicatio, sed pars, & quidem principalis potentiæ, sine quâ potentia simpliciter

& propriè dicta non eſt ad obſervationem ejuſmodi mandatorum.

Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ juxtà Janſenium numquam reſiſtitur hoc ſenſu, quod omnis gratia obtineat conſenſum, quem voluntas ei præſtare poteſt in his circumſtantiis, ſive poſitâ tali tentatione ſeu delectatione terrenâ indeliberatâ. Nulli gratiæ diſſentit voluntas, cui potentiâ proximâ poteſt conſentire, per potentiam proximam agendi vel omittendi ſemper intelligendo potentiam talem, cui nihil ex prærequiſitis ad actionem vel omiſſionem deeſt, vel, ſi quid deſit, in manu hominis eſt obtinere rogando, vel accipere non reluctando. Sic apud Thomiſtas gratiæ ſufficienti reſiſtitur, cum hæc tribuat vires & potentiam ſufficientem ad conſenſum, quem negat voluntas, divertendo ſe ad alia, & ponendo obicem gratiæ prædeterminanti ne à Deo detur; quod facilè intelligitur in ſenſu eorum, qui negant prædeterminationem ad materiale peccati, quæ ſententia eſt multorum Thomiſtarum. Juxtà alios, qui docent prædeterminationem dari ad omnes omninò actus; licèt ſine illâ actus præceptus non ponatur, tamen etiam ſine illâ poteſt poni, cum nihil virium potentiæ deſit, ut deeſt in ſenſu Janſenii, ſed tantùm virium & potentiæ applicatio.

Ad

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiri libertatem à neceſſitate, ſed ſufficere libertatem à coactione docet Janſenius, ità ut neceſſitatem, quam ſtatuit in omnibus noſtris actibus quà bonis per gratiam, quà malis per concupiſcentiam victricem, cenſeat nihil officere libertati ad meritum & demeritum requiſitæ in ſtatu naturæ lapſæ. Eam verò exiſtimat neceſſitatem inferri voluntati à majore delectatione indeliberatâ ſeu concupiſcentiæ ſeu gratiæ; ut non ſit merè moralis, quæ conſiſtit in magnâ difficultate, quæ ſecundum vires præſentes ſuperari valeat, ſed phyſica, ita ut cum minore gratiâ, quæ proindè medicinalis non ſit, non magis poſſim præcepta ſervare, quàm fractis cruribus currere, deſtitutus alis volare, eſtoſſis oculis videre, ad quæ procul dubio in caſu ſuppoſito non moralis tantùm, ſed & phyſica potentia deficit. Non minorem vim & neceſſitatem infert delectatio gratiæ ſuperior quam delectatio concupiſcentiæ, adeòque utrobique eſt veri nominis neceſſitas & quidem antecedens. Atqui hæc juxta Janſenium non obeſt quo minùs actiones ſint meriti vel demeriti capaces.

Thomiſtæ neque neceſſitatem admittunt ad virtutes, neque ad vitia. Prædetermina-

tus, inquiunt, potest non consentire prædeterminationi potentiâ proximâ & expeditâ, si considerentur tantùm omnia, quæ se tenent ex parte potentiæ seu actûs primi. Similiter destitutus prædeterminatione ad bonum potest rectè agere, quia vires sufficientes & quidquid se tenet ex parte potentiæ adest.

Semipelagianos admisisse prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei, & in hoc fuisse hæreticos quod vellent eam gratiam talem esse cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare, hoc sensu docuit Jansenius, quod omnem gratiam interiorem, quæ datur in statu naturæ lapsæ existimarit talem, ut ejus effectus voluntatis pervicaciâ impediri non possit, sed indeclinabiliter effectum illum omnem obtineat, cujus in his circumstantiis præsente tali delectatione terrenâ est capax; atque hanc esse gratiam, quam Augustinus tamquàm fidei Catholicæ basim adversùs Semipelagianos defendit. Thomistæ, etiam, illi qui tenent omnem gratiam habere effectum aliquem, scilicet vel in genere causæ efficientis, vel in genere causæ formalis, fatentur omni gratiæ sufficienti resisti posse vel obtemperari, imò & cum gratiâ efficaci stare potentiam proximam & expeditam non agendi.

Jan-

Jansenio Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse; non quod Christus non obtulerit Patri pretium sufficiens redimendo universo hominum generi, sed quod pro omnibus offerri & à Patre acceptari non voluerit, imò pro nullius reprobi æternâ salute Christus mortuus est magis, quàm pro diaboli liberatione, licet multis reprobis temporalia quædam beneficia sit promeritus.

Thomistæ adeò non Semipelagianum esse docent Christum mortuum esse pro omnibus omninò hominibus, ut sic mortuum esse constanter potiùs tueantur, neque ità ut pretium tantùm sufficiens obtulerit Patri, sed & pro omnibus illud obtulerit. Hinc omnibus reprobis adultis ratione utentibus offeruntur media sufficientia ad servandam legem naturæ, & si priora illa auxilia non respuerint, accipient ulteriora, quibus ad justitiam provehi queant, & in eâ, si velint, finaliter perseverare; parvulis verò omnibus Christus promeritus est gratiam Baptismi & pro omnibus eum instituit, licet Deo permittente non applicetur omnibus, sive ex defectu aliquo parentum sivè ità exigente cursu ordinario causarum necessariarum, quem Deus justis de

causis

caufis turbari non vult ut infans Sacrò fonte abluatur.

Certè licet aliqui Orthodoxi Theologi recentiores docuerint Christum non esse mortuum pro infantibus, qui in utero matris sine baptismo moriuntur, non tamen oppositam sententiam Semipelagianismi insimulant, aut falsitatis & temeritatis scandolosæ censuram non evadunt. Omnes verò contrà Jansenium ejusque Sectarios docent Christum etiam pro salute multorum reproborum esse mortuum, non merâ voluntate sterili, sed quæ eis meruit obtulitque media ad salutem sufficientia. Voluit Christus salutem eorum voluntate non tantum signi aut complacentiæ, sicut voluit & vult etiamnum salutem dæmonum, in qua sibi ut bono quodam complacet, sed reproborum hominum E. G. Judæ & Antichristi salutem Christus voluit voluntate beneplaciti, quod Jansenistæ non admiserint; hæc enim voluntas, licet non sit absoluta & efficax respectu finis, est tamen efficax respectu mediorum verè sufficientium, quæ vi talis voluntatis præparantur & offeruntur.

CAPUT XI.

Theologi, qui cum pertinacia asserunt Jansenismum esse hæresim imaginariam, Jansenium numquam docuisse errores ab Ecclesiâ damnatos, ordinariè non intendunt negare tantùm quæstionem facti, sed etiam juris, undè non immeritò recensentur inter Jansenistas.

NUllum esse aut fuisse umquam in Ecclesia ne Jansenium quidem, qui propositiones quinque damnatas, aut ex illis aliquam docuerit, imperitis minimè malis facilè persuadent Jansenistæ, dum singularem præ se ferentes modestiæ, pietatis, & eruditionis speciem sanctè affirmant, ac penè jurant non esse propositiones damnatas in sensu Jansenii, qui de iis tradendis numquam somniarit, imò qui oppositum in libro suo palàm profiteatur teste D. de S. Victor citatis Jansenii sententiis. Ejusmodi rudes facilè creduli ubi dein Jansenismum chymeris annumeraverint, errant in merâ quæstione facti, neque fidei negatæ crimen incurrunt, mo-

modò propositiones generatim damnent omni modo, quo eos damnat Ecclesia.

Alia judicandi ratio est de Theologis, quos & Janseniani sensûs, & Pontificiarum Constitutionum constat esse non ignaros, sed usque adeò deperire Magistri sui doctrinam, ut nullâ Apostolicæ Sedis autoritate, nullâ Ecclesiæ, ab eo avelli se sinant vel ad latum unguem. Cur illi negent propositiones meritò damnatas esse in sensu libri, in quo eas legerunt ipsi, aut verbis fideliter citatis, ut ubique obvia sunt, manibus quodammodò contrectaverunt; cur, inquam propositiones sensu famosi voluminis damnatas esse negent tam perfrictè, nisi ut Jansenianum virus propinare aliis impunè possint, & ab incautis avidiùs hauriatur.

Profitentur quidem Theologi isti se credere quidquid credendum definit Ecclesia, quidquid reprobat, reprobare. Verùm, & illud de Cælestio Pelagii Discipulo refert Augustinus libro de peccato originali cap. 7. *litteris*, inquit, *Beati Papæ Innocentii non est ausus obsistere, imò se omnia quæ Sedes illa damnarit damnaturum, esse promisit.* Lutherus etiam damnare se modò professus est coram Cardinale de Viò Cajetano: *Ego*, inquit, *F. Martinus Lutherus Augustinianus protestor me colere,*

&

& sequi S. Romanam Ecclesiam in omnibus meis dictis, & factis præsentibus præteritis, & futuris: quod si quid contrà, vel aliter dictum fuit pro non dicto haberi, & habere volo. Hæc Lutherus coram Legato Pontificio, & quatuor Imperii Proceribus, qui Maximiliano erant à Consiliis; at ut specialiter aliquem errorem suum agnosceret, vel retractaret adduci non potuit.

Novimus, aiebat Leo Epist. 86, *Hanc istorum esse versutiam, ut in quacumque particula dogmatis execrandi, quâ se à damnatorum Societate discreverint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum*, numquam ab errore revocandi, nisi sua suorumque Magistrorum dogmata clarè, & expressè damnaverint.

At numquid in universali continetur quælibet particularis? Nonne, qui hæresim omnem ejurat ab Ecclesia damnatam, etiam suam doctrinam comprehendit, si & hanc Ecclesia reprobarit? Ità quidem, sed sensus illi quosdam reconditos servant restrictionibus, quas aliàs verbo insectantur, & exceptionibus abundant, quibus omnem ab Ecclesia damnatum errorem rejiciant præter suum.

Quid si etiam juraverint se omnes Ecclesiæ definitiones venerari? Respondet S. Hiero-

ronymus Epist. ad Pamachium, & Oceanum: *Facilè dicunt cum juramento, quod posteà alio solvant perjurio, ostendantque se minimè de Autore suo proscribendo cogitasse. Hoc enim*, inquit, ibid: S. Hieronymus, *vel maximè cavent ne quando contrà Autorem suum eorum scripta teneantur*, propterea quod & suam his doctrinam contineri probè sibi conscii sint. Hinc eos sancti Patres, & Concilia suspectos semper habuere, imò & anathematismis insectati sunt, ut hæreticos, qui hæresiarchas abjurare, atque hoc pacto errorum suorum condemnationi subscribere detractant in sensu Autoris.

An non quæstio facti erat utrum Nestorius statuisset duas personas in Christo? Certè licèt quædam ejus verba hæreticum sensum satis proderent, aliundè tamen eâ apparebat vir pietate, eâ Religione præditus, ut sibi persuadere non posset Theodoretus eum sensu hæretico scripsisse. Undè scribens Samosateno Episcopo: *Magnificus*, inquit, *vir Aristolaiis ab Ægypto Magrianum cum Litteris Cyrilli destinavit. Exigit autem subscriptionem factæ dudum damnationis, & ut anathematizetur dogma Episcopi Nestorii. Scit autem vestra Sanctitas quod, si quis indiscretè doctrinam anathematizet ejusdem sanctissimi, & venerabilis Episcopi, idem est,*

est, ac si pietatem anathematizare videatur. Oportet ergò si omninò compellimur anathematizare, qui purum dicunt hominem Christum, aut qui in duos filios unum Dominum Nostrum Jesum Christum dividunt, & qui ejus abnegant Deitatem, non verò ejus dogmatis reum agnoscere Nestorium; Est enim quæstio facti ad fidem non pertinentis, & in quo contingere posset, ut damnaretur innoxius. Hinc graviter indoluit Theodoretus cum intellexit Joannem Antiochenum jussu Theodosii damnasse errores Nestorii, cujus nominis factam nolebat mentionem, cum ad fidem sufficeret dogmata, cujuscumque illa essent, proscripsisse.

Verbis Theodoreti Palladium queri diceres de Eximio D. Martino Steyaert Jansenii doctrinam condemnante. *Postquam*, inquit, Theodoretus scribens ad Henricum Nicomediæ Episcopum, *legi Epistolam, quæ Imperatori directa est nimis animo dolui, quia manifestè cognosco, quod is, qui hanc scripsit id ipsum sentiens indiscretè, atque iniquè damnavit eum, qui nihil præter doctrinam sanam novit, & docuit.* Miserabilus etiam Palladius de injuria Jansenio suo illata lamentatur in præfatione Spongiæ: *nova bellli nubes*, inquit, *procella Æoli inexpectata, nova prælii tempestas exoritur. Ecce Lova-*

 nien-

niensis Academiæ Theologus Martinus Steyaert, quis hæc olim præsagiisset? gratiæ per se efficacis ad mortem assecla, non ita pridem apud Iprenses Canonicus, clarissimum quondam Lovaniensis Universitatis Doctorem Cornelium Jansenium Iprensem Præsulem gloriosum, Scriptorem in polemicis, & didacticis incomparabilem doctrinæ arguit condemnatæ, lacescit conclusionibus, & notis Scholaribus, Quin, & hæreticorum, dum vita tulit; expugnatorem acerrimum sub hæreticæ fœditatis infamia sepelire laborat. Quo demum hæc omnia, aut quid quæso compendii insignem pietate virum, Scholæ suæ decus eximium, Ecclesiastici Ordinis Principem, in Communione Catholicâ vitâ functum probrosâ istac maculâ lutulare?

Plus aliquid solatii in professione Joannis Antiocheni reperit Theodoretus, quam Palladius in conclusionibus, & notis Steyaertii.

Non damnaverat Joannes doctrinam Nestorii absolutè, sed conditionatè. *si aliter senserit, quàm fides Catholica pateretur. Anathematismus*, inquit, *insertus, licèt idoneus sit amplius, quàm consensus damnationis ejus damnare Lectorem, tamen quia non indiscretè, sed sub quadam consideratione positus est, solatium præstitit. Nec enim dixit anathematizamus doctrinam ejus, sed quæcumque aliter sensit, aut dixit, quam doctrina Apostolica continet.*

Non

Non nisi sub hypothesi anathema Nestorio dicere in Concilio Calchedonensi volebat Theodoretus; hâc hypothesi virus abscondi censebant Patres, ideò absolutè anathema dici voluere Nestorio & doctrinæ ejus, quod si detrectaret hoc ipso censebatur prodere animum hæreticum, non tantùm in facti, sed etiam in dogmatis quæstione Ecclesiæ dissentire, adhærere Nestorio propter doctrinæ societatem, & sub professione fidei in speciem Catholicâ reservare sibi sensum arcanum, qui cum damnato congrueret.

Verba refero ex actis Concilii actione 8.
„Residentibus omnibus ante cancellos San-
„ctissimi altaris Reverendissimi Episcopi cla-
„maverunt; Theodoretus modò anathema-
„tizet Nestorium.

„Theodoretus Reverendissimus Episcopus
„transiens in medio dixit: preces obtuli Im-
„peratori, & libellos obtuli Reverendissimis
„Episcopis agentibus locum Archiepiscopi
„Leonis: & si vobis videtur, legantur co-
„ram vobis, ut sicut sapio, cognoscatis.

„RR. Episcopi clamaverunt, nihil relegi
„volumus: modo anathematiza Nestorium.

„Theodoretus dixit: Ego per Dei gratiam
„ab Orthodoxis sum nutritus, & Orthodoxa
„docui.........& non solùm Nestorium, & Eu-

 tychen;

„tychen; ſed & omnem hominem, qui rectè „non ſapit, averſor, & alienum exiſtimo.

„Epiſcopi clamaverunt: Clarè dic anathe- „ma Neſtorio, & dogmatibus ejus.

„Theodoretus dixit: verè non dico, niſi „quod modò novi Deo placere: priùs ſatis- „facio vobis.........calumniam paſſus ſum....... „omnem Hæreticum anathematizo, Neſto- „rium & Eutychen, & omnem hominem, „vel opinantem duos filios anathematizo.

„Epiſcopi clamaverunt, dic apertè ana- „thema Neſtorio.

„Theodoretus dixit. Ego niſi expoſuero, „quomodò credo, non dico: credo autem:

„Et, cùm diceret, Epiſcopi clamaverunt; „ille Hæreticus eſt, iſte Neſtorianus eſt: Hæ- „reticum foras mitte.

„Theodoretus Reverendiſſimus Epiſcopus „dixit: Anathema Nestorio, & ei qui „non dicit Dei Genitricem Mariam: atque „in duos filios partitur unum filium unige- „nitum.

„Judices dixerunt: Omnis jam dubitatio „de Theodoreto eſt ſoluta: quippe Neſto- „rium coram nobis anathematizavit.

„Omnes Epiſcopi clamaverunt: Theo- „doretus dignus eſt ſede Eccleſiæ; Ortho- „doxum Eccleſia Paſtorem recipiat: Theo-

do-

„doreto Catholico Doctori reddatur Eccle-
„sia."

Concedo Adversariis non omnia esse paria. Nestorius doctrinam suam damnatam agnovit ab Ecclesiâ, nec dimisit, sed frontem obdurans tueri perrexit, contemptâ Ecclesiæ autoritate. Jansenius in initio & fine operis, illud Apostolicæ Sedis submisit judicio antè latam in illud sentnntiam extinctus, nec hæresios notam illi inurit Ecclesia, nec anathema à nobis dici postulat viro, sed malè ominato ejus fœtui Augustino Cornelii Jansenii seu doctrinæ hoc libro contentæ.

Sic igitur paucis immutatis statuatur Arnaldus in Congregatione S.Officii Romæ, vel, si malis, in Inquisitione Hispanicâ cum suâ geminâ pro Jansenio Apologiâ & Epistolâ 2. ad Ducem & Parem Franciæ in quibus Jansenium nihil à fide alienum nihil non S. Augustino maximè conforme docuisse multis contendit: Residentibus omnibus Reverendissimi Episcopi clamaverunt, Arnaldus modò anathematizet Pseudo-Augustinum seu doctrinam Jansenii. D. Arnaldus transiens in medio dixit: preces obtuli Regi Christianissimo, libellos Reverendissimis Episcopis Galliæ, quos ipsi amplissimis testimoniis comprobarunt; Adoptayi V Articulos disci-

pulorum S. Augustini oblatos Alexandro VII & dein Alexandro VIII, à neutro reprehensos. Si vobis videtur legantur coram vobis ut, sicut sapio, cognoscatis.

Reverendissimi Episcopi clamaverunt: nihil relegi volumus; modo anathematiza doctrinam Cornelii Jansenii quinque Propositionibus comprehensam. Arnaldus dixit ego per Dei gratiam ab Orthodoxis sum nutritus, licèt aliqui Parentem meum Calvinismi insimulent, & orthodoxa docui, & non solum Jansenium & Calvinum, sed & omnem hominem, qui rectè non sapit aversor, & alienum existimo. Episcopi clamaverunt, clarè dic anathema Augustino Jansenii & quinque dogmatibus ejus. Arnaldus dixit, verè non dico, nisi quod modò novi Deo placere, prius satisfacio vobis. Calumniam passus sum. Omnem doctrinam hæreticam Jansenii & Calvini & omnis hominis asserentis quinque famosas Propositiones anathematizo. Episcopi clamaverunt: dic apertè anathema doctrinæ Augustini Janseniani. Arnaldus dixit: Ego, nisi exposuero quomodò credo, non dico. Credo autem: & cum diceret, Episcopi clamaverunt: ille hæreticus est, ille Jansenianus est, hæreticum foras mitte.

Nescio an exemplo Theodoreti mox diceret

ceret Arnaldus anathema doctrinæ Augustini Iprensis, & ei, qui non dicit omnia Dei præcepta justis volentibus & conantibus secundum præsentes, quas habent vires esse possibilia, certè non deesse eis gratiam quâ possibilia fiant: Gratiæ interiori in statu naturæ lapsæ aliquando resisti: ad merendum & demerendum in eodem statu non sufficere libertatem à coactione, sed requiri libertatem à necessitate: Semipelagianos non admisisse prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, neque in hoc fuisse hæreticos, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare: Non esse Semipelagianum dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.....valete. Si hæc profiteretur Arnaldus, judices responderent: omnis jam dubitatio de Antonio Arnaldo est soluta, quippe doctrinam Jansenii coràm nobis anathematizavit. Omnes Episcopi clamarent Arnaldus dignus est, qui in Patriam revocetur, Sorbona Socium ac Doctorem suum recipiat, Arnaldo reddatur gradus pristinus. Hæc illi ubi resipuerit, ex animo voveo.

Intereà dabis mihi hanc veniam, ut confido, dabis & ceteris Theologis Anti-Jansenianis si

tibi

tibi in Jansenistarum albo principem locum tribuamus, quamdiù pro Jansenio, pro quo tot Apologias conscripsisti, tamquam pro aris & focis decertans illius ubique vestigiis inhæseris: neque ægrè ferent gregales tui, qui ne se fateri damnatos usquam cogantur, occlamant identidem, Jansenium nihil docuisse fidei contrarium, nihil non Augustinianum, nihil non communibus Patrum sententiis consecratum, non, inquam, ægrè ferent si in Jansenismi suspicionem à nobis vocentur.

Præcessere hìc nos Romani Pontifices, sic nos docuere exemplo suo Patres & Concilia, dum quos hæreticis familiares, importunos eorum præcones & patronos deprehenderant, eos de eadem hæresi postularunt, neque agnoscebant dein seriò conversos & Catholicos, donec hæresiarchis apertè dixissent anathema. Nulla, ut in Theodoreto patuit, sufficiebat fidei professio, nulla sinceritatis protestatio, suspecta habebantur omnia, donec hæreticorum non generatim omnium, sed horum nominatim condemnationi subscriberent.

Sic Leo Papa Epist. 86. ad Nicætam Aquilejensem hanc regulam decernit: *Omnes sive Presbiteri, sive Diaconi, sive cujuscumque Ordinis Clerici, qui de Pelagianorum Cælestianorumque*

con-

consortio in communionem Catholicam eâ imprudentiâ sunt recepti, ut non priùs ad damnationem sui coarctentur erroris, nunc saltem postquam hypocrisis eorum ex quâdam parte detegitur (ut detegitur quotidiè Jansenium ejusque doctrinam mirificè prædicantium) *ad veram correctionem . . . . . . cogantur. Damnent apertis professionibus sui superbi erroris autores, & quidquid in Doctrinâ eorum universalis Ecclesia exhorruit detestentur : Omniaque Decreta Synodalia* (uti & modo Congregationis S. Officii) *quæ ad excisionem hujus hæresios Apostolicæ Sedes confirmavit autoritas, amplecti se, & in omnibus approbare* (etiam hoc tempore formulâ juramenti Alexandri VII.) *plenis & apertis ac propriâ manu subscriptis protestationibus eloquantur.*

Damnari quinque errorum autorem Jansenium non postulat Ecclesia, nec damnavere Pontifices, sed errores autoris, sed librum ejus Pseudo-Augustinum & doctrinam eo volumine contentam. Quid opus inquiunt Lovanienses, qui juramenti formulam Alexandrinam admittere præfractè renuunt, aliam fabricantes, ubi nulla fit sensûs Janseniani expressâ mentio, condemnare privati autoris sensum, modò dogmata secundum se proscribantur, cujuscumque demùm autoris sint sive nullius?

Res-

Reſpondeo ; ideò Janſenii ſenſum ejurandum eſſe ut nullus deinceps pateat cavillationibus locus ; nam in omnium manibus eſt Janſenii liber ; quo autem ſenſu Propoſitiones tradiderit facilè demonſtatur. Quem igitur earum ſenſum Propoſitionum deteſtari tunc vos cogeret jurameti religio, foret perſpicuum ; neque perjurii maculam effugeret, quiſquis evomitum Janſenii virus reſorbuiſſet.

Idcircò filii iniquitatis Pontificiæ formulæ lucem exoſi latebras ſibi ipſi ſtruxere, eludendis Apoſtolicis diplomatibus opportunas. Damnant propoſitiones ſenſu arcano, quem ſibi pro libitu fingunt, nec ſuis, nec Janſenii placitis incommodo.

Fucum Catholicis pudendum, ſi tamen Catholicorum eſt, non neglexerunt Ariani Euſebius Nicomedienſis, & Theognis Nicænus apud Socratem lib. 2. c. 10. in Epiſtolâ ad Nicænam Synodum : *Conſenſimus*, inquiunt, *illi fidei definitioni, atque vi & notione verbi conſubſtantialis diligenter ponderatâ, paci nos totos addiximus, atque nullum errorem ſecuti ſumus, ſed tum quo Eccleſiarum ſecuritati proindè conſuleretur, ea, quæ in noſtram cogitationem venerant, vobis ſuggeſsimus, tum verò ut illos qui noſtræ ſententiæ acquieſcere deberent, cer-*

certâ persuasione confirmaremus, fidei isti subscripsimus, sed sensu, quem mente reservamus nobis solis noto, sic ut cum subscriptione nostrâ quidquid est Ariani dogmatis conciliari possit, ut ubi tutum videbitur, faciamus palàm. Quærenda nunc honestæ quædam rationis species, quâ subterfugiamus condemnationem Arii, ne Arium damnando proscribamus doctrinam in sensu antoris adeòque in sensu nostro, quod omni studio cavendum.

Exemplo futuri Jansenistis ità pergunt: *Anathemate autem Ario à Concilio denuntiato non ob eam causam non subscripsimus, quòd fidem illam incusaremus, sed quod minimè crederemus, eum qui erat accusatus, hominem ejus generis fuisse, præsertim cum ex illis, quæ privatim nobis ab eo tum per Epistolas relata erant, tum per ejus sermonem coram habitum declarata, pro certo eramus persuasi ipsum longè alium fuisse*; quæ hoc modo imitantur Augustini Iprensis discipuli: Anathemate autem Janseniano sensui à Sede Apostolicâ denuntiato non ob eam causam non subscripsimus quod fidem illam quinque propositionibus oppositam incusaremus, sed quod minimè crederemus, Jansenium, qui erat accusatus, hominem ejus generis fuisse, qui talia umquam docuisset,

cuisset, præsertim cum ex illis, quæ ejus libro continentur, certò eramus persuasi, ipsum longè alium fuisse.

Terret quoque timoratas Jansenistarum conscientias metus calumniæ, ne Episcopo defuncto, qui audiri non potuit, nec se defendere, impingantur dogmata, quæ in ejus scriptis nusquam conspiciuntur, saltem non alio sensu, quàm S. Augustini. *Avec quelle conscience veut-on imposer cette erreur à Monsieur d'Ipre*, exclamat D. de S. Victor pag. 15. *Quâ conscientiâ præsumat quis errorem hunc* (2. Propositionis condemnatæ) *impingere Iprensium Antistiti!* Promittunt nihilominus Janseniani pro suâ ergà S. Sedem reverentiâ silentium de quæstione facti, licèt in eâ hallucinatam esse certum habeant. *Dogmatibus fidem*, inquiunt, *facto reverentiam præstamus.*

Undè fieri dixeris ut Theologi, qui manifestam anathematis sententiam nihil morati, tam gravi & certo crimine se obstringunt, errores damnatos cum pertinacia propugnando, tam religiosi sint, aut scrupulosi potius in condemnando Autoris sensu, quem condemnat Christi Vicarius, quem damnant Cardinales, tot Episcopi, Universitates, &c.? Rationem superiùs indicavi ne videlicet errores suos quos semper tueri cer-

certum est, pariter execrentur. Pertinaciæ religionem, æquitatem, Dei timorem & charitatem obtendunt. Hæreticos hic sequi malunt, quàm Petri successores.

Præivere Jansenistis pridem Pelagiani: quorum aversantur dogmata; fraudes avidè imitantur. Instruxerat Leo Pontifex Septimium Epist. 85. hoc modo: *Qui se*, inquit, *correctos videri volunt, errorem suum, & ipsos erroris autores damnari à se sine ambiguitate fateantur, ut sensibus pravis & dudum peremptis, sperandi nulla supersit occasio, ne ullum membrum Ecclesiæ talium possit societate violari.* Sed alia placent, & jam antè placuerant consilia octodecim Episcopis Pelagianis, qui tractatoriæ Zosimi Epistolæ subscribere noluerunt. Horum nomine Julianus Eclanensis scripserat ad Zosimum his verbis: „Illud autem sanctitatem vestram specialiter admonemus, „ne ad vestram reprehensionem factum putetis, quod sic absentium damnationi, „ob Dei timorem subscribere, non audemus, „docti per Scripturas, humanam voluntatem „præceptis Dei non debere præferri dicentis: *Non credes auditui vano, nec consenties „cum iniquo fieri injustus*: & ne multitudini „quis credendum putaret, adjunxit: *Non „eris cum pluribus in malitiâ*: & iterum: *Priusquam*

„*quam interroges, ne vituperes quemquam*: &
„iterum: *Quod viderunt oculi tui, loquere*......
„His igitur & ceteris teſtimoniis confirmati,
„metuimus in abſentium, & nobis inaudi-
„torum capita dictare ſententiam, niſi, cum
„præſentes fuerint confutati. Quamvis igitur
„Sacerdotalis officii ſit, & Chriſtianæ ca-
„ritatis eos, qui ſe libellis purgarent, Ca-
„tholicos confitentur, & damnabilia ſibi
„objecta condemnant, liberâ autoritate de-
„fendere, & in dubiis rebus de unoquoque
„meliora ſentire, tamen dudum promiſſam
„æqualitatis libram mediam inter utrumque
„ſervantes, nec damnamus inauditos, nec
„defenſamus abſentes."

En reverens Janſeniſtarum ſilentium in quæſtione, ut aiunt, facti; en charitatem & Dei timorem, qui eos à Janſeniani ſenſûs damnatione avertit.

Pervicaciam hæreticorum perfringere decrevit Imperator Honorius Pontificiæ autoritati ſubveniens Epiſtolâ ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum: „Dudum quidem, „fuerat conſtitutum, ut Pelagius, atque „Cœleſtius infandi dogmatis repertores, ab „Urbe Româ, veluti quædam Catholicæ ve- „ritatis contagia, pellerentur .... ſed quia „obſtinati criminis pertinax malum, ut Con- „ſti-

,,ſtitutio geminaretur, coëgit....... præcipuè
,,tamen ad quorumdam Epiſcoporum perti-
,,naciam corrigendam, qui pravas eorum
,,diſputationes, vel tacito conſenſu aſtruunt,
,,vel publicâ oppugnatione non deſtruunt......
,,Religio tua competentibus ſcriptis univer-
,,ſos faciet admoneri, ſcituros definitione te-
,,ſtimonii tui, hanc ſibi definitionem eſſe
,,præſcriptam, ut quicumque damnationi ſu-
,,prà memoratorum, QUO PATEAT MENS
,,PURA, ſubſcribere impiâ obſtinatione ne-
,,glexerint, Epiſcopatus amiſſione mulcta-
,,ti, interdictâ in perpetuum communione
,,priventur......... Non patietur Sanctitas Tua,
,,ſectæ deteſtabilis homines, in injuriam re-
,,ligionis, nova & inuſitata meditantes, ſe-
,,cretis tractatibus occultare ſacrilegium, pu-
,,blicâ ſemel autoritate damnatum: una enim
,,eademque culpa eſt eorum, qui aut diſſi-
,,mulando conniventiam, aut non damnan-
,,do, favorem noxium præſtiterint."

Non ſequiùs quàm ſcripſit, opere execu-
tus eſt Imperator cum Pontifice & Epiſco-
pis debitam contumacibus pœnam, ut te-
ſtatur Marius Mercator in common. c. 3.
,,Hæc omnia ſupra ſcripta capitula, ut jam
,,ſuperius dictum eſt, continet illa beatæ me-
,,moriæ Epiſcopi Zoſimi Epiſtola, quæ tra-

„ctoria dicitur, quâ Cœlestius, Pelagiusque
„damnati sunt, quæ & Constantinopolim,
„& per totum orbem missa, subscriptioni-
„bus Sanctorum Patrum est roborata: cui
„Julianus, & reliqui complices ejus subscri-
„bere detrectantes, consentaneosque se no-
„lentes iisdem Patribus facere, non solum
„Imperialibus legibus, sed & Sacerdotalibus
„statutis depositi atque exautorati ex omni
„Italiâ deturbati sunt (hæc eadem ipsi
„Juliano exprobrat alibi) audi nunc &
„tu.......... quid olim ipse pronuntiaveris, in
„Epistolâ videlicet tuâ, quam ad Sedem
„Apostolicam illo tempore ausus es mittere,
„quando conventus detrectasti cum universâ
„Ecclesiâ per totum orbem Pelagium Cœle-
„stiumque damnare."

Non minori merito queri posset Sedes Apostolica de Arnaldo, *audi nunc & tu, quid olim ipse pronuntiaveris in Epistolâ tuâ* videlicet 2. *quam ad Ducem & Parem Franciæ illo tempore, ausus es mittere, quando detrectasti cum universâ Ecclesiâ per totum orbem doctrinam Jansenii ejusque Pseudo-Augustinum condemnare, &c.*

CAPUT XII.

Solvuntur objectiones, quibus defensores Jansenii doctrinam ejus ab hæresis suspicione frustrà conantur liberare. Ostenditur discrimen, quod intercedit inter eos, qui Jansenium atque illos, qui Honorium, & Theodoretum vindicant.

MUlta objicit Arnaldus lib. *Phantôme du Jansenisme* A. 1686. ubì plurima congerit de quæstione facti præsertim cap. 13. quæ rursus approbantur in libello: *Question Curieuse* A. 1690. Cap. citato profert Gersonem dicentem *judicium Ecclesiæ circà ea quæ facti sunt, fallere potest & falli.*

Quid indè? An propterea doctrinam libri alicujus condemnare potest ut hæreticam, quæ Catholica sit? Jam erraret in quæstione juris. Aliud igitur ex dicto Gersonis non sequitur, quàm posse Ecclesiæ judicium errare in attribuendo libro cuidam autori, in judicando de sensu autoris interno, de quo nulla nobis est controversia. Damnet modo Arnaldus doctrinam libri, qui inscribitur Augu-

ſtinus Cornelii Janſenii, & ſimul, ſi ità viſum fuerit, neget Janſenium eſſe libri autorem, vel etiam ità in animo ſenſiſſe, ſed planè oppoſita, quam liber exprimat; non Janſeniſtæ, non hæretici, ſed temerarii ut ſummùm, & inepti hominis nomen promerebitur.

Phantaſmatis pag. 124. difficiliorem locum intorquet Cardinalis Bellarmini lib. de Rom. Pontifice c. 11. dicentis: *Quamvis generale Concilium legitimum non poſſit errare, ut neque erravit hoc ſextum in dogmatibus fidei definiendis, tamen errare poteſt in quæſtionibus de facto; itaque tutò dicere poſſumus hos Patres deceptos ex falſis rumoribus, & non intellectis Honorii epiſtolis, immeritò cum hæreticis connumeraſſe Honorium.* Ad factum quod attinet rurſus Arnaldo concedo poſſe Concilium errare cum judicat aliquem eſſe hæreticum, quod à mente ejus pendet, de quâ ex ſcriptis probabiliter quidem colligi poteſt, non tamen ſemper ſine ullo erroris periculo.

Erraverint igitur Concilii ſexti Patres ex Honorii epiſtolis, in quibus de geminâ æquè ac unâ in Chriſto operatione ſilentium indicebat, colligentes eum animo fovere hæreſim Monothelitarum unicam Chriſto operationem tribuentium, quod quidem collegerint

rint minùs rectè, cum vel in ipsis Epistolis extarent indicia minimè obscura agnitæ ab eo operationis geminæ. Sed ex indicto silentio, Ex favore, quem hoc pacto præstabat hæreticis, judicarunt Patres, eum plus occultare animo, quàm proderet, & in duabus voluntatibus, quas ibidem agnosceret verbotenùs, subintelligere eum nescio quid restrictionis hæreticæ. At nec Epistolas ipsas, nec ullam earum propositionem damnavere Patres, ut hæreticam. Erraverunt igitur in solâ quæstione facti si Honorium propriè Hæreticum censuerint.

Sed eruditorum plurium recentiorum probabilis mihi sententia est, supposito quod Honorii nomen non ab æmulis Romanæ Sedis perfidè intrusum, sed à Concilii Patribus hæreticorum nominibus appositum sit, eum non hæreticæ opinionis, sed suscepti hæreticorum patrocinii reum damnatum, juxta illud Imperatoris Honorii ad Aurelium Carthaginensem apud Garnerium part. 1. Operum Marii Morcatoris dissertatione 3. *Vna eademque culpa est eorum, qui aut dissimulando conniventiam, aut non damnando favorem noxium præstiterint*; & Leo Pontifex ad Episcopos Hispaniæ De Honorio inquit, *flammam hæretici dogmatis non*

ut

ut decuit Apostolicâ autoritate incipientem extinxit, sed negligendo confovit.

Demus tamen damnatum ut hæreticum, nescio quid amplius ex loco Bellarmini intellectum velit Arnaldus, quàm errorem Concilii in quæstione facti superiùs memoratâ. Si enim contendat Epistolas Honorii verè juxtà Bellarminum orthodoxas, aut aliquas earum propositiones secundùm sensum quem habent in Epistolis esse damnatas hæresios, jam manifestè admiserit Bellarminus errorem in quæstione juris, à quo admittendo satis constat, nec diffitentur Adversarii, Bellarminum fuisse remotissimum. Neque ejusmodi errorem tribuere Conciliis Oecumenicis potest Arnaldus, nisi in omnibus juris quæstionibus autoritatem eis infallibilem pariter abrogaverit. Quo posito quid tandem futurum sit in fide firmum non facilè statuet.

Pag. 126. objicit Cardinalem Baronium ad annum Christi 681. n. 39. apud me 30. *Religio est in iis quæ fidem spectant, vel latum unguem ab iis quæ in S. Synodo sunt statuta, recedere; at in iis, quæ ad personas pertinent, & scripta ipsarum, non ità rigidè reperitur custodita censura. Nam patens exemplum est de quintâ Synodo, quæ Tria Capitula condemnavit de quibus à Sacrosancto Calchedonensi Concilio videri poterat aliter actum*

nempè

nempè de Theodoro , Theodoreto , & Ibâ. In his enim quæ facti sunt unumquemque contingere posse falli, nemini dubium est , & tunc locum habet illud Pauli 2. Cor. 13. non enim possumus aliquid adversus veritatem sed pro veritate.

Quantum ad factum attinet, Respondeo ut suprà, Concilia absolutè loquendo errori esse obnoxia, si ex tribus Capitulis de internâ autorum opinione hæreticâ vel Catholicâ judicium ferant; sicut enim sub Catholicæ Confessionis larvâ, ut in Pelagio patuit, & plurimi aiunt de Fausto Regiensi, latet quandoque animus autoris hæreticus, sic potest libri hæretici autor esse non hæreticus, sive quod fide bonâ processerit, errans sine perpertinaciâ, sive quod rectum animi sensum non aptè expresserit, cujus exemplum recens occurrit in Professore nupero Divionensi, qui censens peccantibus semper adesse cogitationem aliquam numinis actualem saltem tenuem, quam alii virtualem appellant, etsi non explicitam, saltem implicitam, atque adeò nullum peccatum purè Philosophicum dari, ut profitetur in scriptis publicè dictatis diu ante motam sibi ab adversariis molestiam, nihilominùs ita Thesim proposuit, ut secundùm se spectata fundamentum præberet innumeris peccatis etiam gravissi-

vissimis, quæ ut purè Philosophica non mererentur supplicia sempiterna.

Si Arnaldus censeat potuisse tria Capitula ab unâ Synodo, ut fidei dogmata, quoad omnia, & singula definiri, ac approbari, ab alia verò Synodo solenni definitione reprobari tamquam hæretica, convellitur Conciliorum autoritas non in solis facti quæstionibus, sed ut patet etiam in dogmatibus.

Quòd autem Calchedonense Concilium non probaverit Ibæ Epistolam, ut aliqui contendunt, testimonium luculentum præstat Synodus V. *Non aliter*, inquit, *passi sunt Patres* (Calchedonenses) *prædictum Ibam suscipere priusquam exegissent eum Nestorium, & impia ejus dogmata, quæ in Epistola vindicantur anathematizare... si igitur Ibam non alio modo suscipere sustinuissent, nisi impietatem, quæ in Epistolâ continetur condemnasset & subscripsisset definitioni; quæ pro fide à S. Concilio data est, quomodo conantur dicere susceptam esse impiam Epistolam ab eodem Concilo?* Demus tamen non displicuisse Epistolam Pontificiis Legatis, non ideò totius Ecclesiæ Decreto probata est, cum varii varia de ea senserint. Denique Eximius P. Lupus re diligenter discussâ ostendit Concilii Calchedonensis Oecumenicam autoritatem

tatem

tatem actione sextâ terminatam esse. Adeoque etiamsi Ibæ Epistola supponeretur ab illo Concilio approbata non esset infallibilis approbatio, cum Epistola tantùm approbata esset actione 9. & 10.

At nobis etiam hujus Eximii Patris autoritatem opponit Arnaldus; In Notis Conciliorum ubi de Epistola Ibæ: *Mihi placet Augustini Consilium: quibus argumentis absentis, vel mortui hominis voluntatem ità colligam, ut de illa jurare possim?* Nemo à te Arnalde umquam exegit, ut jurares pertinacem fuisse Jansenio voluntatem, & intentionem hæreticam. Sufficit si librum, qui Augustinus Jansenii inscribitur, & contentam ibidem doctrinam hæresios damnaveris.

Pag. 132. citas P. Sirmondum faventem Theodoreto, ut Catholico, quamvis ejus scripta à Synodo V essent confixa Anathemate. Fave, & tu Jansenio, ut Catholico si ità videatur, non magnopere repugnabimus, modò ejus scripta condemnes. Cæterum nulla Theodoreti propositio in particulari notata est. Indefinitè ut impia profligata sunt à Concilio V, quæ scripsit adversùs S. Cyrillum, & duodecim ejus capitula, seu Anathematismos. Hæc non defendit Sirmondus, ut innocua, quemadmodùm

Ar-

Arnaldus universam Jansenii doctrinam tamquam Augustinianam, sed opinatur Theodoretum ex æmulatione potius, indignatione & odio in S. Cyrillum propter perstrictum ab eo graviter Joannem Antiochenum, quàm doctrinæ hæreticæ approbatione adeò ferociter in Cyrillum ejusque Anathematismos desæviisse.

Licèt igitur hæc ejus scripta meritò, ut impia damnarentur, quia virum sanctissimum ut Arianum, & Apollinaristam impugnabat, & tam salubre Cyrilli adversùs hæreticos studium mulctabat iniquissimè, censet Sirmondus aliundè colligi posse animum Theodoreto non fuisse Nestorianâ hæresi afflatum, Quia Theodorus Abbas in argumento Synodi Ephesinæ id apertè testatur, dicens: "cum Joanne, adfuit Theodoretus ,,eloquentissimus Episcopus Cyri civitatis O-,,rientalis. Hic contra Cyrillum agens, duo-,,decim ejus capitula reprehendebat, quæ ,,in tertia contra Nestorium Epistola conscri-,,psit, refellebatque illa, dicens Arianum ,,esse S. Cyrillum, & cum Eunomio, & ,,Apollinari sentire. Cyrillus quippe Nesto-,,rio resistens incarnationem dividenti, majo-,,rem unionis curam præ se tulit. Undè & ,,Theodoreto unicam naturam docere vide-

,,ba-

„batur ſicut Arius & Apollinaris ; ſed ne-
„que Theodoretus Neſtorium defendere
„umquam viſus eſt, ſed Cyrillum dumtaxat
„accuſare ob illatam Joāni contumeliam,
„quod ſi quis noſſe velit exoſum fuiſſe ve-
„hementer Theodoreto Neſtorium (ubi
„ejus errores detexit, à quibus eum antè
„cenſuerat immunem) librum legat quem
„Theodoretus ipſe adversùs hæreſes com-
„poſuit."

Aliud irrefragabile teſtimonium eſt S. Leonis Papæ in Epiſtola ad Theodoretum ipſum: *Remeantibus*, inquit, *ad nos Fratribus, & Conſacerdotibus noſtris, quos ad S. Concilium Sedes Beati Petri direxit, agnovimus dilectionem tuam superno adjutorio nobiſcum tam Neſtorianæ impietatis, quàm Eutychianæ veſaniæ extitiſſe victricem*; & infrà: *Sed benedictus Deus noſter, cujus invincibilis veritas ab omni hæreſios maculâ mundum te ſecundùm Sedis Apoſtolicæ judicia demonſtravit.*

Vel, inquies, errat in hoc ſuo judicio Pontifex, vel errarunt Synodi Calchedonenſis Patres dum Theodoretum hæreticum proclamarunt, donec clarè anathematizaret Neſtorium. Ità ſit erraverit alteruter in quæſtione facti. Sic & fieri poteſt, ut fallamur aliquando cùm vocamus Janſeniſtas eos, qui

anathemadicere renuunt quinque Propositionibus tamquam libro Jansenii contentis, cum eorum fortè aliqui Jansenii doctrinam reverà execrentur. Quamvis non videatur natum fieri, ut fallamur sæpè cum eorum plerique Jansenii doctrinam circa quinque propositiones sequantur pertinaciter, ut eam sequi Arnaldus convincitur. Ut autem Arnaldum à Jansenismo, sicut Sirmondus Theodoretum à Nestorianismo vindicemus, Pontificium Breve expectamus, in quo ut olim S. Leo ad Theodoretum, Innocentius XII ad Arnaldum scribat: *Agnovimus Religionem tuam, superno adjutorio nobiscum tam Jansenianæ impietatis, quàm Calvini vesaniæ extitisse victricem. Benedictus Deus noster, cujus invincibilis veritas ab omni hæresios maculâ mundum te secundùm Sedis Apostolicæ judicia demonstravit.* Expectamus ab Arnaldo, ut si nolit dicere anathema doctrinæ Jansenii saltem in actu exercito ei renuntiet. Sed in fide errantibus propria, & quasi individua omnes est pertinacia, ut à conceptis opinionibus nullâ ratione, nullâ autoritate divellantur.

Instat Arnaldus; juxta Sirmondum *Vigilius censuit esse liberam controversiam de tribus Capitulis:* igitur & libera est controversia de Propositionibus, & libro Jansenii. Ubi Sir-

mon-

mondus hoc dixerit non notat Arnaldus, ſitne hic fraudis aliquid haud ſcio : cæterùm non aliâ ratione Vigilius liberam judicavit controverſiam, quàm quæ ſpectat ad factum: an mortuis trium capitulorum autoribus dicendum eſſet anathema. *Grave eſt*, inquiebat, *inſultare defunctis vel ſi laici fuerint , nedum illis, qui in Pontificatu hanc vitam depoſuerunt.* Undè in Concilio V. ſoli Theodoro anathema dictum eſt, non autem Ibæ, aut Theodoreto, licet etiam horum lucubrationes proſcriptæ ſint. Sed & hoc ſenſu dici potuit neceſſariam non fuiſſe capitulorum condemnationem , cum quæ proſcripta ſunt fidei adverſantia, jam in prioribus conciliis definita eſſent ſatis apertè. Ideò Gregorius Magnus lib. 3. Epiſt. 37. ſic ſcribit : *in ea* (Synodo V.) *de perſonis tantummodò , non autem de fide aliquid novi geſtum eſſe.* Et lib. 2. Epiſt. 36. *in Synodo in quâ de tribus Capitulis actum, eſt nihil de fide convulſum eſſe vel aliquid immutatum.* Si Arnaldus quæcumque contrà Janſenium geſta ſunt anteà eodem ſenſu definita fuiſſe contenderit, eodem ſenſu dicere cum S. Gregorio poterit, nihil niſi de perſonâ Janſenii , nihil novi de fide eſſe conſtitutum. Sed cum ut Arnaldus affirmat longè aliud Calvinus docuerit & alii hæreſiarchæ , quàm Janſenius , dicendum

eſt, aliquid de fide, non de ſolâ Janſenii perſonâ, ea conſtitutione eſſe ſancitum.

Sequitur apud Arnaldum pag. 135. Dominicus Gravina ex ordine S. Dominici, qui neſcio, quo loco dixerit Concilia falli in attribuendâ cuipiam opinione velut ab eo traditâ. Non diſſentio: v. g. ſi per falſos teſtes traducar quaſi protuliſſem ſive pro concione ſive in ſermone familiari ſive in dictatis publicis opinionem, de quâ numquam mihi inciderit vel cogitare, errare in hoc facto poterit Concilium & errabit ſi me reum pronuntiet. At ſcriptum illud, quod tamquam à me dictatum exhibuerint non deſinet eſſe hæreticum & in hoc judicio nullum ſubeſt errandi periculum. Fateatur igitur Arnaldus librum, qui *Auguſtinus Janſenii* dicitur, eſſe hæreticum: de interno Janſenii ſenſu, vel ſitne ipſe autor voluminis, an illi ab altero ſuppoſitum, non diſquiremus adeò operosè; neque Arnaldum propterea inter Janſeniſtas collocabimus. Nihilò plus quâm cætera Arnaldum juvant Tanneri, Annati, &c. de quæſtione facti ſententiæ. Quæcumque iſtius generis congerit, facilè ex dictis ſolventur.

CAPUT XIII.

Expenduntur discrimina inter Jansenium & alios hæresiarchas. Ostenditur hæc non officere, quò minùs in puncto controverso æquè sit infallibilis sententia Pontificis in damnanda hæresi Jansenii, quàm aliorum hæresiarcharum.

QUi Jansenio student, multa commiscuntur, quibus cum à damnatis autoribus secernant. Hæresiarchæ, inquiunt, quos Ecclesia prostravit anathemate, satis sibi conscii opiniones suas displicere Ecclesiæ non dissimulaverunt dolorem, sed velut canes rabidi in Pontifices, & quotquot suspicabantur cladis suæ autores, maledictis involarunt, juxtà illud psal. 57. Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ obturantis aures suas. De Pelagianis S. Hieronymus Epist. 24. apud Augustinum: *cum superatos, damnatosque esse se sentiant, tamen venena mentium non omittunt, & quod solùm possunt nos oderunt, per quos putant se libertatem docendæ hæresios perdidisse.* Janse-

nius damnatam doctrinam esse non sensit, cum damnatio mortem ejus sit subjecuta.

Alterum discrimen, quo Jansenius ab hæreticis sejungatur est, quod hi concilia in sua sensa vi pertrahere præsumpserint, hic verò opus suum Apostolicæ Sedis judicio submiserit: in testamento mediâ ante mortem horâ à se condito, *sentio*, inquit, *aliquid difficulter mutari posse, si tamen Romana sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius illius Ecclesiæ, in quâ semper vixi usque ad hunc lectum mortis, obediens sum. Ità mea postrema voluntas est. Actum 6. Maii* 1638. Non absimilis submissio legitur in fine lib. 10. de Gratia Salv. ante Parallelum. *Si Augustini obscuritas me fefellerit, maximi beneficii loco ducam laborumque plurimorum compendium faciam, si quis aliud ex Augustini scriptis demonstraverit, quod donec humiliter ac desideranter expecto, quidquid de rebus tam multiplicibus & arduis non juxtà meam sed juxtà S. Doctoris mentem pronuntiavi ex Apostolicæ Sedis Ecclesiæque Rom. matris meæ judicio suspendo, ut illud jam nunc teneam si tenendum, revocem si revocandum, damnem & anathematizem, si damnandum & anathematizandum esse judicaverit.*

Discrimen 3. hæretici post condemnationem tueri errores suos pergunt cum pertinacia: Jansenius obedientem Ecclesiæ Filium

sem-

ſemper ſe futurum profeſſus eſt nec quidquam contrà Eccleſiæ autoritatem umquam tentavit.

Deniq́ue nihil ipſe ex ſuo ſenſu deprompſit, Auguſtini ubique premens veſtigia, ut infelix volumen præter centonem vix quidquam contineat. Hæretici pro libitu ſuo fingebant novitates, quarum autores ſe dici gloriabantur, ut in novæ ſectæ ſe caput erigerent.

Hæc ſunt, quæ pro Janſenio ad eum invidiâ utcumque liberandum partim â Janſeniſtis partim â Catholicis adferuntur. Sed quid hæc ad ejus doctrinam, aut ſi malis infelicem Auguſtini Commentarium? Ideòne magis infallibile eſt judicium Eccleſiæ de dogmatibus libro contentis, quia horum autor V. G. Baius, Calvinus, Lutherus, aut alius quilibet hæreſiarcha eſſe ſua dogmata & anathemate perſtricta agnoſcit ac profitetur? Quòd de ſuis articulis anteà negarat poſtmodum confeſſus eſt Baius, nihil infallibilitati cenſuræ ademit, aut addidit; niſi fortè quatenus ſignificatur fuiſſe à Baio conſcripta, ejus fuiſſe hunc animi ſenſum.

Verùm imponunt turpiter, & ad conflandam Apoſtolicæ Sedi invidiam mentiuntur Janſenii aſſeclæ, cum jactant Alexandrum VII. ad ejuſmodi juramentum fideles

ade-

adegiſſe. De interno autoris ſenſu juramentum non exigitur, ſed de ſenſu & doctrinâ libri, qui autoris nomine circumfertur. De doctrina & ſenſu libri judicat Eccleſia ſecundùm acceptionem connaturalem, planam, & apud Theologos obviam, quam non immutat ſenſus autoris neſcio quis internus fallax & exoticus, uti nec ſubſequens ejus ſeu rebellio, ſeu ſubmiſſio & reverentia ergà Sedem Apoſtolicam.

Deniquè quid ad doctrinæ hæreticæ & condemnatæ excuſationem pertinet, ſive tradita ea ſit ut Commentarius Auguſtini, ſive ut autoris concluſio? Amoliri fortè invidiam à ſe potuit Janſenius, non à dogmatibus, neque à ſuo volumine, quod doctrinam hæreticum tradit, ſive ut Iprenſis ſive Hipponenſis Auguſtinus. In hoc autem ergà Doctorum aquilam parùm reverentes ſunt, qui ut à Janſenio doctrinæ hæreticæ avertant infamiam, eâ ſummum Eccleſiæ Doctorem conſpergunt. At erravit in Auguſtini interpretatione, ità ut nec Auguſtini mentem aſſecutus ſit, nec ſuam expreſſerit niſi infeliciter referens & errans circà mentem alienam. Quam hæc frivola ſint nemo non videt, qui aliquid videt in Janſenio. Quis enim neſciat Auguſtini ſententiis turgidum eas non referre

mo-

modò, sed approbare, extollere, inculcare ut Catholicas, ut verissimas, ut definitas ab Ecclesia, sic ut Jansenius reverâ tantùm utatur Augustini nomine, & verbis ad suæ sententiæ firmitatem?

V. G. secundam propositionem tradit Jansenius locis pluribus, inter quos occurrit in lib. 2. de Gratia Salv. c. 25. initio. *Hæc itàque est vera ratio & radix cur nulla omninò medicinalis Christi gratia effectu suo careat, sed omnis efficiat ut voluntas velit & aliquid operetur quod quantumvis gratiæ, istius congrua autoribus permirum videatur, veritas tamen est in Scripturis Sanctis & Augustini scriptis explorata.*

Asserere absolutè & simpliciter quod hæc sit *vera ratio & radix* cur nulla omninò medicinalis Christi gratia effectu suo careat, id est nulli dissentiatur, nulli resistatur, sed omnis efficiat ut voluntas velit, & aliquid operetur, id est operetur omnem effectum, cujus hîc & nunc capax est, quod quamvis gratiæ istius congruæ autoribus permirum videatur, *veritas tamen sit in Scripturis Sanctis & Augustini scriptis explorata*, estne tantum referre sententiam alienam? Quî potest disertiùs à Theologo adstrui sententia propria, quam asserendo esse veritatem in Scripturis S. & Augustini scriptis exploratam?

Simi-

Similiter Propositionem 1. ut suam tradit lib. 3. de Gratia Salv. c. 13. col. 325. ubi citatis quibusdam Augustini locis sic in rem suam ratiocinatur. *Ex hâc*, inquit, *indubitatâ doctrinâ quædam non parvi momenti ad hanc rem spectantia inferuntur*, *&* CLARESCUNT ; *primum quidem esse quædam homini præcepta secundum statum & vires in quibus constitutus est impossibilia. . . . 2. non adesse semper gratiam quâ possumus . . . 3. hanc inpotentiam reperiri non solum in excœcatis & obduratis & infidelibus . sed etiam fideles & justi* (dicere debuit fidelibus & justis) quod probat ex illo Tridentini : *Jubendo* Deus *monet petere quod non possis &* (inquit Jansenius) SI EXAUDIAT, *adjuvat ut possis. 4. Hanc impossibilitatem fidelibus accidere , non tantum quando nolunt præcepta facere , sed etiam quando volunt. Perspicuum est enim eos qui* Deum *pro impetrandâ gratiâ deprecantur ut valeant facere quod jubentur; jam habere præcepti implendi voluntatem , sed deesse potestatem..*

Dum igitur eodem capite propositionem primam condemnatam tribuit Augustino , satis patet ejus autoritatem à Jansenio ad stabiliendam suam sententiam adhiberi. Idem de aliis propositionibus Jansenium adeunti facilè patebit, omnem Augustini doctrinam adoptari à Jansenio , atque adeò , quod Augustino

ſtino tribuit, profiteri ut ſuum, imò & ab omnibus amplectendum. Quod evidens fit vel ex præfationibus.

Ante Tom. 1. de hæreſi Pelagiana ſic præfatur: *Tanta eſt dogmatum iſtorum ſuperbiſſimorum cum corruptâ per ſuperbiam ratione conſenſio, tantum in illis quaſi ſyrenibus prurientium in ſuam laudem, & admirationem animorum lenocinium, ut niſi cœleſtis illa gratia, quam illæ à fronte, à tergo, à lateribus impetunt, aures eorum, qui in hoc perturbatiſſimo doctrinarum confuſiſſimarum Pelago prætemavigant, obturaverit, animumque eorum autoritati immobili D. Auguſtini veluti malo alligaverit, vix, vel nullo prorſus modò fieri poſſit, quin aliquâ ex parte, peſtiferâ eorum dulcedine ſeducamur.*

Apertiùs etiam doctrinam omnem S. Auguſtini de gratiâ & prædeſtinatione ſuam facit Iprenſis in præfatione tom. 3. *Nihil*, inquit, *publico utilius fieri poſſe puto quàm ſi genuina profundiſſimi Doctoris mens, hoc eſt Eccleſiæ Catholicæ ſententia, quam ille explicuit & contrà hæreſes propugnavit de gratiâ & prædeſtinatione proferatur.* Paulò ſuperius ibid. vehementiùs urget omnes ad ſequendum ubique Auguſtinum, intentat alioqui certò anathemata. *In illâ*, inquit, *materiâ verſamur, ubi poſt tot Apoſtolicæ Sedis Conciliorumque pronuntiata ex Auguſtin;*

stini libris, verbo, sensuque tenùs hausta, meritò adversùs hujusmodi retorquere possumus; si quis vobis annuntiaverit præter id quod ex Augustino accepistis, anathema sit.

CAPUT XIV.

Arcana Jansenii Manuscripta confirmant Jansenismum non esse merum phantasma.

UTinam liceret nobis infelicis illius Episcopi numquam refricare memoriam, ejusque lapsus tot animarum millibus funestos perpetuo silentio involvere! Verùm cum nescio quæ de Jansenii sanctitate & Religione singulari apud plurimos conciliata existimatio eos in exitialem condemnatæ doctrinæ venerationem pertrahat, visum mihi est ad bonum Ecclesiæ conducere, imò necessarium, ut arcana quædam Jansenii manuscripta, quæ in manus meas venere, publici juris faciam, quæ Janseniani libri omnem deinceps autoritatem subruant. Jam inde in Scholis publicis dictari cœperunt; vereor autem ne de Jansenio plus fortè probent quàm velim ab omnibus intelligi.

Sic

Quanto aliàs Janſeniſtarum ſtrepitu Gallia & Belgium commota ſunt propter accuſatum à Pontifice Janſenium de propoſitionibus aliàs condemnatis ?

Declarabat Urbanus VIII. in conſtitutione, quæ incipit *in Eminenti* : Janſenium *magno cum Catholicorum ſcandalo & autoritatis dictæ Sedis* (Apoſtolicæ) *contemptu defendere multas ex propoſitionibus olim damnatis à Pio V. & Gregorio XIII.* Teſtabatur ibidem Pontiſex id *compertum ex diligenti & maturâ ejuſdem libri, cui titulus Auguſtinus, lectione.* Conſonantia Janſenii & Baii adductis utrimque locis pridem oſtenſa eſt, v. g. circà omnia infidelium opera peccaminoſa, & Philoſophorum virtutes vitioſas : omnia opera peccata, quæ non ſunt Dei dilectio ; ſtatum naturæ puræ impoſſibilem, &c.

Pergunt nihilominus Janſeniſtæ frontem obdurare, & conſtitutionem potiùs Pontificiam, quàm Janſenianum volumen erroris redarguere ; negare ullam propoſitionem ſuſcitari uſquam vel defendi à Janſenio vulgò Bajanam, ſive à Pio V. & Greg. XIII. damnatam.

Ipſum igitur Janſenium in ſuo manu-

scripto codice loquentem audiamus.

„Ad excusandas, inquit, propositiones Ma-
„gistri Michaelis (Baji) observanda sunt 1. Car-
„dinalem P. dicere expressè quod non sit fidei,
„Papam esse supra Concilium Congregatum.
„2. Du Val docet definitiones Pontificis esse
„infallibiles, sed si fiant legitimè, id est cum
„Concilio Generali, aliàs non. 3. Non esse
„omnes ut hæreticas rejectas, sed respectivè
„ut hæreticas, scandalosas, malè sonantes,
„periculosas, &c. Sic autem possunt impro-
„bari propositiones etiam veræ, quæ prop-
„tereà tamen non sunt definitæ, etsi tenen-
„dæ sunt pro illo tempore esse tales, quales
„definiuntur. Tales enim definitiones sæpè
„exigunt temporum circumstantiæ, ut in His-
„paniâ de B. Virgine propter populi tumul-
„tum. Et hic habere locum potuit, ut satis-
„fieret doctrinæ tunc communi à Philoso-
„phis haustæ, à scholis defensæ, quibus an-
„tequam veritas cum ejus fundamentis pate-
„fieret, adhærendum censebatur, ut licen-
„tia coërceretur. 4. Quod non sint rejectæ,
„nisi ad intentionem Autoris, quæ constare
„potuit Pontifici. Si enim non constitit, te-
„meraria admodùm definitio fuisset, proin-

de

„dò quærendæ aliquæ propositiones veræ, „rejectæ propter scandalum, aut malè-sonantiam, si reperiri possint. Forte de Tribus „Capitulis.

Adverte lector, quòd ubi Jansenius scriptum suum Orditur hoc modo: *Ad excusandas propositiones Magistri Michaelis*, satis percipiens hujus suæ machinationis temeritatem, ideoque veritus, ne, quod tandem accidit, manuscriptum hoc in Catholici cujusdam Theologi manus incideret, non ausus sit mentem exprimere caracteribus obviis, & linguâ latinâ, sed partim latinâ, partim græcâ, partim hebraicâ: *ad excusandas*, inquit, ἀποφάσεις R A B. M. Postremi caracteres erant hebraici,& ut apud hebræos moris est, ordine retrogrado collocati. Indicia profectò hæc scriptoris sunt non bonæ fidei, & doctrinam meditantis quam satis novit neque tutam esse, neque Ecclesiæ dogmatibus conformem.

Magistri sui artes secuti sunt Autores inventæ nuper arcanæ clavis. Quid autem ineptius, quàm excusare propositiones damnatas, quia juxtà aliquos non est de fide Pontificem esse infallibilem? Quis enim ne-

 ger

gei infallibilem in definitionibus ab Ecclesiâ admissis, ut admissæ sunt definitiones adversùs Baium? Propositiones autem damnatas dici tantùm damnatas pro tempore, & donec veritas cum suis fundamentis patefiat, absurdius est, quàm ut ex calamo viri catholicè sentientis elabi potuerit; item quod Ecclesia damnet veritatem propter tumultum populi, & ut aliquid tantisper concedatur doctrinæ communi haustæ à Philosophis.

Miraberis lector, & si quid in te ergà Christi Vicarios venerationis, adversùs Jansenium commoveberis, ubi ejus verbis ostendero, tam charas ei fuisse Baji propositiones, etiam post condemnationes, ut instinctu diabolico potiùs, quàm divino concepta & lata fuisse in articulos Bajanos sententia Jansenio videatur.

Verba dabo ex manuscripto codice propriâ Jansenii manu exarato. Postquam dixerat „mirandum esse admodum Pelagianam hæ„resim, quæ à S. Augustino refutata tanto „applausu, & ab Ecclesiâ Augustini doctri„nam definiente reprobata sit, tantùm po„tuisse, ut aliquoties surgere conata, sæpè

cli-

„clisa, tamen post tot sæcula per Philoso-
„phorum acumina; nemine advertente ca-
„put ità erexerit, ut in majore penè vigore
„esse videatur quàm umquam fuit apud non
„nullos;" Tum sollicitus, qui Pelagianismus reprimi possit, & expulsa ex Ecclesiâ Augustini Doctrina rursùs introduci, deplorat obstaculum tam piis suis & Michaëlis Baji conatibus objectum fuisse. In margine legitur *impedimentum doctrinæ veteris introducendæ.* In corpore verò manuscripti; *Non sine arte satanæ*, inquit, *procuratum fuisse videtur obstaculum illud condemnationis M. B.* (Michaëlis Baii) *ut qui doctrinam illam gratiæ novitiam destruere vellet, & veterem introducere, contrà Sedem Apostolicam luctari in speciem videatur. Nihil enim invidiosiùs clamabitur, quàm illam Sedem dedecorari.*

Manuscriptum hoc non à me fingi norunt in Universitate Lovaniensi plures omni exceptione majores, qui mecum scriptum autographum manibus versarunt. Fidelem ejus copiam mihi procuravi, quæ etiamnum penes me est, & roganti exhibebitur. Autographum quoque non procul domo meâ est, & ut confido, non difficulter mihi

rursus ab Amico concedendum, ubi ad liberandam fidem meam videretur necessarium.

Quin scriptum illud verè Jansenii sit, indubitatum est conferenti cum aliis, quæ Jansenii esse omnes agnoscunt, & hoc ipsum, si necesse fuerit, probabitur luculentè. Certè quidam Jansenio devotissimus præcipuæ inter Neo-Augustinianos autoritatis, & qui plura in archivo pretiosissimi thesauri loco habet Jansenii manuscripta, hoc ubi conspexit nihil moratus, *ipsissimus*, inquit, *est caracter Illustrissimi nostri Iprensis, nequit esse ovum ovo similius; quàm hoc reliquis, quæ apud me sunt istius clarissimi viri monumentis.*

Accedit perfectissima totius farraginis cum famoso volumine concordia doctrinæ & sententiarum: ubique se prodit odium adversus Scholasticos, quos Aristotelicos vocat potiùs, quàm Augustinianos, ut & in suo Augustino scribit de Thomistis. Queritur veram & à Patribus traditam Theologiam, à Monachis infinitâ inutilium ac metaphysicarum quæstionum multitudine perturbatam esse penitùs atque confusam. Optat ut Monachi otium, quo abundant; exemplo ve-

te-

terum, opificiis manualibus impendant relictâ Theologiâ Episcopis, quibus id munus proprium. Undè non miror in Jansenii sequacibus odium adversùs viros religiosos, seu ut ipsi per contemptum vocare maluerunt, Monachos; cum illud sibi quodammodo innatum à suo Patriarchâ acceperint hæreditarium.

Est quod hîc Jansenistis suadeam, si Religiosos à studio Theologico aversos desiderent, quod erat votum Jansenii, sinant eos distineri dirigendis confraternitatibus, instruendis Monialibus, aliisque devotis Deo Virginibus, promovendo Scapulari, Rosario, Cingulo S. Thomæ Aquinatis, S. Augustini, S. Francisci (loquor non ignota Domino van Espen Collegii Pontificii Domestico & factionis Gummarianæ in jure canonico adjutori strenuo) his enim multò tempore occupari constat viros ingenii perspicacissimi, & Theologicis studiis maximè idoneos, linguâ, calamoque promptos, qui fortè non parùm Jansenismo facesserent negotii, si iis curis vacarent.

Sed fortè Lector impatiens moræ expectat à me illustrem ex manuscripto Jansenii codi-

ce locum de Monachis post Magistrum sententiarum Theologiæ corruptoribus.

,,Quamdiu (inquit) Christiana Doctrina pro ,,instructione populi autoritate quasi paternâ & ,,Episcopali tradita fuit, cum omni sinceritate ,,& simplicitate tradebatur, ipsique Doctores ,,de ipsâ doctrinâ solliciti, ad cujus normam vi-,,debant sui gregis mores componi, cum omni ,,cautione à temeritate asserendi abstinebant: ,,incerta, multisque curis occupati superflua ,,præcidebant.

,,Sed postquam cœpit in Scholis tradi ab ,,hominibus nihil præter hoc profitentibus, ,,& ad nihil vacantibus nisi ut illum cam-,,pum excolerent, infinitarum farrago quæ-,,stionum inutilium, curiosarum, frivolarum, ,,superfluarum invecta est, ut magnitudine ,,scientiæ se commendatos redderent. Et ,,quasi quos docebant, non erat eorum Grex ,,proprius, quorum Christiana salus esset eo-,,rum curæ commissa, ut qui alios veros Pa-,,tres & Pastores in Christiana doctrina & ,,probitate agnoscerent. *Hinc nihil solliciti ,,nisi ut suam scientiam buccis concrepanti-,,bus venditarent, multa temere asseruerunt,

&

*Origo corruptelæ in Theologiam inductæ undè.

,,& antiquis abrogatis nova ſubſtituerunt, ,,quia diſciplinis Philoſophicis imbuti, omnia ,,voluerunt ad illam normam exigere, quia ,, Patrum doctrinam vel non legerant, vel ſuis ,,nimium intenti, ſedulò eorum ſenſum per- ,,ſecutari non potuerunt. Otium ergò eorum, ,,qui hoc genus ſcientiæ ſolum profitebantur, ,,tot inutiles quæſtiones nobis peperit, de ,,quibus nec Magiſter ſententiarum cogitavit; ,,quia reverà dimidia pars earum eſt fundata ,, in Philoſophia, & Metaphyſica. Hinc fa- ,,ctum eſt, ut Monachis factum fuerit hoc ,,genus ſcientiæ quaſi proprium. Nam ſi ,,Scholaſtici recenſeantur, ex decem vix unus ,,reperietur ſæcularis: ſicut enim omnes an- ,,tiqui Monachorum inſtitutores certa opifi- ,,cia manualia induxerunt, ut otium à ſuo ,,grege arcerent, ità Scholaſtici illi Religioſi ,,tempus ampliſſimum, quo abundabant, fri- ,,volis quæſtionibus indagandis impenderunt. ,,His accedit, quod Philoſophis omni tem- ,,pore proprium fuerit per eruditionem, no- ,,varumque ſententiarum introductionem glo- ,,riolam quærere, ſententias ſuas mordicùs ,,tueri, & ità interminabilibus certaminibus ,,inter ſeſe contendere, ut ex Auguſt. in libris

de

,,de civitate Dei constat. Quid mirum si illi,
,,qui Philosophorum spiritu & doctrinis plus
,,satis instituti sunt, eorum vestigiis institerunt,
,,eosdemque disputandi, & altercandi
,,modos, & mores quos Philosophi in suis
,,libris observant, imitati sint. Hinc enim
,,jam ista consuetudo invaluit, quemadmodum
,,quidam Scholastici non ignobiles ingenuè
,,professi sunt, & experientia patet,
,,ut ignominiosum habeatur si discipulus ad
,,professionem Sacrarum Litterarum admotus,
,,non aliquid Magistro superaddat, &
,,novi aliquid moliatur.

Hæc omnia Responsum quoddam sunt ad quæstionem, quam in margine sic paucis proponit: *Origo corruptelæ in Theologiam inductæ undè*: Quantò veriùs ad eandem quæstionem responderemus: Illustrissime Antistes: *Origo corruptelæ in Theologiam inductæ* præcipua est liber, cui titulus: *Augustinus Cornelii Jansenii*. Unde pace tuâ dixero inter Religiosos, quamvis multi subindè scholastici erraverint, plus tamen volumen tuum, ut vocas, *Augustinus*, detrimenti intulisse Theologiæ fidei & Ecclesiæ quam centena Monachorum opera, sivè Theoricam

Theo-

Theologiam complectentia, sive Ethicam. Minimè vero decebat privatum Doctorem, aut etiam Episcopum se vocare alterum Augustinum; multò minus contemnere & modis excipere tam indignis scholasticos & inter hos Doctorem Angelicum, Doctorem Seraphicum, aliosque tam doctrinâ quàm pietate conspicuos, qui doctissimis atque utilissimis lucubrationibus Ecclesiam illustrarunt. Acerbum Jansenii & fidi ejus Achatis Joannis Vergerii in omnium Ordinum Religiosos animum magis prodit, si verùm sit testimonium, quod in quodam Archivo repertum hìc subjicio.

Nos F. Marcus à Nativitate Virginis Provincialis Carmelitarum Provinciæ Turonensis hoc scriptò declaramus, quod A°. 1652, & 1654 D. de Razilly vir Nobilis Turonensis testatus nobis sit interfuisse se circà annum 1620. colloquio cuidam virorum in Ecclesiâ spectabilium, inter quos erant Dominus du Verger, cui nomen deindè fuit Abbati San-Cyrano, & Dominus Jansenius dein Iprensium in Flandriâ Episcopus. Proponebat in eo colloquio D. du Verger ut no fideles Re-

gu-

gularium templa adirent tam frequenter, optimum factu fore si Ecclesiastici, qui administrandis Sacramentis dabant operam, praxi uterentur ei oppositâ, quæ id temporis usurpabatur à Regularibus, pœnitentiæ verò Sacramentum difficile redderent, Eucharistiæ autem ut usus rarior esset efficerent. Jansenio consultum non videbatur in Religiosos simul omnes insurgere, sed initium ajebat sumendum esse à Jesuitis; neque enim difficile futurum demonstrare perversam esse eorum de gratiâ doctrinam, & sopitas de eâ re sub Clemente VIII. concertationes restituere. In eum finem librum se conscripturum addicebat, quo Jesuitarum doctrinam impeteret, quem suspicio est eum esse, qui dein prodiit in publicum, hoc insignitus titulo *Augustinus* &c. Priorem agebam in Conventu nostro Turonensi cum Dominus De Razilly priusquàm obiret, sui etiamnum apprimè compos ac conscius, quæ de illo colloquio antè commemoraverat iteratò testatus est esse vera. Sed & hæc eadem narrarat P. Nicolao à Visitatione Prædecessori meo eodem in munere Prioris, subjeceratque edixisse se viris

istis non placuisse sibi ea consilia aut colloquia; quippe in quibus nihil agebatur aliud, quàm ut passioni suæ atque utilitati inservirent. In quorum fidem has propriâ manu scriptas signavi, & signari curavi per Assistentem nostrum, atque insuper sigillo officii nostri munivi. Actum Turonibus 29. Julii 1687.

Fr. MARCUS A NATIVITATE VIRGINIS Provincialis Carmelitarum in Provinciâ Turonensi.

Fr. JOSEPHUS A JESUS MARIA, Assistens R. P. Provincialis.

Nos F. Nicolaus à Visitatione Religiosus Ordinis B. Mariæ Montis Carmeli declaramus audivisse nos ex ipso D. de Razilly, tum cum Prioris munere fungebamur Turonibus A. 1649. 1650, ea, quæ Pater noster Provincialis R. P. Marcus à Nativitate Virginis refert de colloquio, cui interfuêre D. San-Cyranus, D. Jansenius & aliquot alii, & in quo consilia contulerunt, quæ dein executioni mandata sunt, ut vulgò compertum est. In quorum fidem, hasce manu meâ signavi, atque apponi curavi Conventûs nostri sigillum. Actum Turonibus 29. Julii 1687.

F. NICOLAUS A VISITATIONE.

Prætereo virulentas eorum epistolas, parallelum Massiliensium aliasque præsertim adversùs Jesuitas machinationes. Hîc profectò Jansenius & San-Cyranus, Lutheri, Calvini & ceterorum recentium hæresiarcharum propè institerunt vestigiis.

CAPUT XV.

Propositiones non paucæ ex damnatis ab Alexandro VIII. sunt Jansenii.

QUantâ verborum acrimoniâ persequi solent Jansenistæ libros scholasticorum, non Ethicos tantùm, sed & Theoricos! illos pestiferæ laxitatis insimulant, hos Pelagianismi instaurati, & eversæ Doctrinæ Augustinianæ, quam tot olim Conciliorum Decreta & Universæ Ecclesiæ approbatio consecrarunt. Si unam alteramve in libro quopiam propositionem ostendunt, Pontificis sententiâ condemnatam, quàm misero illius autori superbè insultant! quibus eum ubique dilacerant conviciis! liber non aliter expurgari potest, quàm infami incendio, neque ullum pegma ei satis vile est, ad orcum undè prodiit demergi debet iisdem cum autore suppliciis puniendus Ità novæ charitatis discipuli.

Jan-

Janſenianum autem volumen quamvis de innumeris erroribus, & damnatiſſimis convictum, prædicare nunquam deſinunt tanquam prorſus immaculatum, omnis nævi expers, Auguſtinianæ veritatis compendium, doctrinæ prorſus cœleſtis oraculis refertum, non magis obnoxium anathemati, quàm Paulinas Epiſtolas Spiritu ſancto dictante conſcriptas. Ad reprimendam iſtorum hominum tam inſanas voces & intolerabilem jactantiam juverit præter 5. famoſas propoſitiones hæreticas & Baianas multas, etiam complures Alexandri VIII. irrefragabili judicio proſcriptas & graviſſimis notatas cenſuris in Janſenio oſtendere.

Prima propoſitio ab Alexandro VIII. damnata: *in ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum mortale & demeritum ſufficit illa libertas, quâ voluntarium & liberum fuit in causâ ſua peccato originali & voluntate Adami peccantis.*

Janſenius lib. 3. de gratia Chriſti c. 10. col. 303. *Iſta ratio & radix eſt cur ſexcentis locis contrà Pelagianos doceat* (Auguſtinus) *quod alii juvantur, alii non juvantur divini eſſe judicii, quô nihil aliud docet, quàm quod loco citato docuit, juſtè videlicet quibuſdam gratiam ſubtrahi, ſine quâ impoſſibile eſt juſtum manere & injuſtum rectè vivere & peccata vitare quamvis velit.*

Immediatè antè dixerat hoc intelligendum non de *primo homine*, sed *de damnatâ ejus posteritate. Primum hominem* pronuntiat *deficiente adjutorio quo posset manere, si vellet, sine culpâ casurum, ejus verò posteritatem non posse obtendere suam innocentiam, si sibi illud deest, quia pœna peccati est, quòd subtrahitur.*

Si propter peccatum originale denegetur adultis gratia quâ possint justi manere, rectè vivere, vel peccata vitare, sicque peccantes non possint obtendere suam innocentiam, sed demereantur tum peccatis mortalibus, tum venialibus, ut vult Jansenius; igitur in statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum, sufficit illa libertas, quâ voluntarium ac liberum fuit in causâ sua peccato originali, & voluntate Adami.

Lib. 3. de Gratiâ Christi cap. 26. ubi attulit definitionem Augustini ex libro de duabus animabus cap. 11. *peccatum est motus voluntatis undè liberum est abstinere*, statim subdit, *quam definitionem sæpe* (Augustinus) *protestatur nulli peccato nisi solius primi hominis convenire*: Rationem reddit *quia cætera ità peccata sunt, ut simul sint præcedentium supplicia peccatorum*, quæ saltem commisimus in Adamo, & rectè plura peccata vocantur, quia, ut constat ex Tridentino, tot transgressio-

nes

nes, distinctæ sunt, quot subjecta, ad quæ peccatum originale derivatur. Certum est non omnia peccata in nobis esse pœnas peccatorum personalium; evidens enim est quòd primum nostrum personale, aliud personale præsupponere nequeat. Igitur illud est pœna peccati originalis tantùm, neque habet in se libertatem, cum definitio Augustini juxtà Jansenium conveniat soli peccato primi hominis, quod solum requirebat libertatem, cæteris sufficiat esse pœnas peccati originalis, adeòque habuisse libertatem in Adamo. Undè rursùs sequitur prima propotio decreto Alexandri VIII. condemnata.

2. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.*

Jansenius lib. 2. de statu naturæ lapsæ caput quartum sic orditur; *sed hìc gigantea occurrit moles & ut videbitur, nodus insolubilis, quî fieri possit, ut ex invincibili ignorantiâ peccatum possit proficisci. Quis enim capiat ut homo in eo peccet, quod neque scit neque scire potuit, nec voluntate sua sivè volente sivè torpescente talis ignorantiæ causam dedit? Hujusmodi enim peccata jam non erunt nequidem voluntaria, quod ad peccati rationem omninò necessarium est, sed necessaria. Et quis credat tale portentum doctissimum*

 san-

sanctissimumque virum docere potuisse? si te benigne lector ista difficultas fortè movet, profectò movet & me, non tamen ità ut vel dubitem doctrinam illam Augustinum tradidisse, vel in eâ tradendâ fluctuasse vel hallucinatum esse, sed potiùs ut obstupescam & exhorrescam profunditatem judiciorum Dei. Certissimum est enim, quantum excussis magno labore diligentiâque principiis Augustini & anfractibus doctrinæ ipsius, mihi judicare licet, hoc Augustinum, hoc Hieronymum, hoc Concilium Palæstinum sine ullâ fluctuatione ut rem in Catholicâ Ecclesiâ extrà omnem controversiam, tamquam in Scripturis traditam, docuisse; rectè an secùs, pietas nostra in dubium revocare non sinit ne eâdem operâ victoriæ quoque veritatem & æquitatem, quâ de Pelagianâ hæresi triumphatum est, in dubium revocemus. Quæcumque nos hic movent rationis humanæ, sed plerumque vana terriculamenta sunt, hæc munimenta divina sunt.

Ubi vides horrendum dogma de ignorantiâ invincibili non excusante in statu naturæ lapsæ traditum à Jansenio tamquam sententiam, de cujus veritate nemo, nisi fidei nostræ fundamenta concutiendo possit ambigere. [illegible] hinc oriri necessitatem peccandi, sed [illegible]itatur ex peccato originali, asserit il[illegible]usare. Ibid. Col. 300. *tantum ab*[illegible] *ut Augustinus hujusmodi suis pronun-*

nuntiatis, quæ ante exortam hæresim Pelagianam asseruerat, territus fuerit, vel aliquid in doctrinâ suâ invincibilis ignorantiæ, quam tradidimus, immutaverit, ut potiùs è contrariò necessitatem peccandi ex eâ consequi ingenuè fassus fuerit, imò velut rem certissimam protulerit, ex qua necessitas illa, quæ in originali peccato sine omni omninò personalis voluntatis voluntario cernitur, evidentiùs probaretur, & pleniùs innotesceret.

Non distinguit Jansenius inter justificatos & non justificatos, sed æqualiter in utrisque ignorantiam invincibilem à peccato non excusantem profitetur. Agere verò Jansenium de peccato formali certum est omnibus & evidens adeò, ut ne ex Jansenii quidem defensoribus quisquam in dubium revocaverit.

Eandem propositionem tradit Jansenius lib. 2. de statu naturæ lapsæ C. 2. Col. 287. *Generale namque videtur*, inquit, *Scholasticorum pronuntiatum esse, quod quidquid ex invincibili fit ignorantia hoc ipso culpâ vacat* (seu peccato formali) *quæ sanè doctrina quamvis humanæ rationi, quâ nititur, valdè plausibilis esse videatur* tamen dicit esse contrariam Augustino, Pelagianam, & in hoc Pelagianorum principio fundatam: *Ignorantia quæ evenit secundùm necessitatem non voluntatem, non subjacet peccato.* Ibid. dicit doctrinam illa acriter à Catholicis defensoribus oppugna-

gnatam & à judicibus (Ecclesiæ) condemnatam in Synodo Palestinâ, &c.

Col. 290. *Quæ sanè perquam evidenter ostendere videntur sententiam illam, quod ignorantia necessitatis non voluntatis, hoc est invincibilis peccato non subjaceat, Catholicorum Episcoporum judicio in Synodo præsidentium, & Augustini toties illud approbantis calculo, sine ullâ tergiversatione esse damnatam.* Ubi subjacere peccato non accipit Jansenius ut Palestinæ Synodi Patres pro effectu peccati originalis & peccato merè materiali, sed pro peccato, *quod culpâ non vacet*, ut cònstat ex Col. 287.

Totum hoc breviter & clarissimè docet Jansenius lib. 2. de statú naturæ lapsæ c. 5. in fine. *Legis*, inquit, *naturalis ignorantia, sive sit vincibilis, ut in gravioribus delictis, præsertim, quibus proximus læditur contingere solet, sive sit invincibilis, ut in iis forsan, quæ magis à principiis distant conclusionibus naturalibus, & invariarum occursu subito circumstantiarum plerumque accidit, non excusat à peccato delinquentes. Sed de his & similibus delictis Augustini humilitas tremebat, quando propter subitas diversasque circumstantias in discernendo illo naturæ jure perplexus exclamabat : delicta quis intelligit, & Davidis pietas cum tota Ecclesiâ gemebat : Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris.*

Igi-

Igitur censebat Jansenius peccata esse formalia, quæcunque adversùs legem naturalem ex ignorantiâ invincibili perpetrantur, neque ad venialem culpam ea usquam restringit, sed contra, ubique clamat ea nos reddere damnationi obnoxios.

3. Propositio damnata: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Sequitur ex priori; si enim ignorantia invincibilis non excuset in statu naturæ lapsæ minus excusat probabilitas quantumvis cogitetur magna. Ubi probabilissimum est, legem aliquam seu imperantem seu prohibentem non existere, etiamsi fortè reipsâ existat, non censetur sufficienter promulgata, ut obliget in actu secundo eum, cui probabilissimum est legem non esse, adeoque contrà legem agendo non peccat. Egit simpliciter, ut supponitur, quidquid moraliter potuit, ut veritatem assequeretur, quam si apprehendere non potuerit, ut ignorantia ejus & error invincibilis, sic & actus quicumque hinc secutus legi contrarius à peccati formalis malitiâ immunis definitur contrà Jansenium.

4. Propositio damnata: *Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo non pro solis electis, sed pro omnibus & solis fidelibus.*

Jansenius lib. 3. de gratia Salv. C. 21. Col. 383.

383. *Ex quibus*, inquit, *clarum est, non aliter Augustini judicio Christum se redemptionem pro omnibus dedisse seu propitiationem esse pro peccatis totius mundi, nisi quia pro peccatis omnium fidelium ex quibus una Catholica constituitur Ecclesia redemptio atque propitiatio est. Nec in universis Augustini operibus, ni fallor, locus est, ubi doceat Christum pro peccatis infidelium in infidelitate permanentium esse propitiationem, vel pro iis se dedisse redemptionem, contrarium verò non semel significavit.* Quam sententiam ibidem approbans etiam Scripturis Sacris & Conciliis Jansenius affingit.

Cum audis Jansenium prædicantem mortem Christi pro peccatis omnium fidelium, ne existimes id intelligendum de omnium fidelium peccatis prorsus omnibus, non enim pro remissione peccati finalis eorum, qui in justitiâ non perseverant, cùm pro nullius reprobi æternâ salute Christum mortuum esse non magis quam pro æternâ salute dæmonum inculcet Jansenius eodem Capite Col. 390. *Quæ sanè*, inquit, *cum in Augustini doctrinâ perspicua certaque sint, nullo modò principiis ejus consentaneum est ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æternâ salute mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse,*

Pa-

Patrem orasse sentiatur....ut juxtà Sanctissimum Doctorem non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum, quàm pro diaboli deprecatus fuerit.

5. Propositio damnata: *Pagani, Judæi, Hæretici aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Jesu Christo influxum, adeòque hinc rectè inferes in illis esse voluntatem nudam & inermem sine omni gratiâ sufficiente.*

Jansenius lib. 3. de Grat. Salvat. Capiti II. hunc præfigit Titulum: *Infideles carent omni gratiâ sufficienti ad salutem tam proximâ, quàm remotâ, & omnibus principiis ejus.* Postquam initio capitis gratiam, quam Scholastici infidelibus concedunt, dixerat cogitationem aliquam esse ab objectis etiam naturalibus suscitatam, aut diminutionem virium adversarii, amotionem occasionis, quâ tentamur, terrorem, blanditias objecti alterius, aut generaliter aliquod adjutorium gratiæ naturalis in substantiâ, mox subdit: *Et quidem eos omni tali gratiâ carere nullam in Augustini principiis dubitationem continet, quidquid enim diximus ut Judæos* (etiam tempore legis Mosaicæ) *gratiâ sufficienti servandi præcepta legis caruisse probaremus, multò validiùs in infidelibus locum habet prout res ipsa per se loquitur......uterque verò status expers gratiæ est, & ab Augustino vocari solet ante gratiam, ut per hoc ipsum significet utrumque statum*

tum carere gratiâ non solum faciendi bonum, sed gratiâ non faciendi id quod prohibetur malum, sive non consentiendi carnalibus concupiscentiis. . . . . . Ostendemus duos illos status sub quorum altero necessariò infideles vivunt, non solum omni gratiâ Christi destitutos esse ad cavendas superandasque tentationes, sed etiam in statibus illis deesse arbitrio libertatem ad bonum: hoc arbitrium voluntatis non esse liberum ad faciendum aliquem actum bonum, sed tantummodò ad malum; utpotè quod sub libidinibus rerum terrenarum, & carnalium servum captivumque teneatur, à quibus nisi per ipsam solam fidem liberatoris Christi liberari nullo pacto potest. Ubi licet de infidelibus, qui veri Dei notitiâ destituti sunt agat, potissimum tamen etiam ad alios quoscumque à fide Catholicâ aberrantes dictum extendit, nam & hi verâ supernaturali fide liberatoris carent.

Mens hæc Jansenii magis elucet Ibid. Col. 313. *Quapropter*, inquit, *si infideles illâ ipsâ cupiditate sincerâ boni carent, sine quâ esse non potest ullum opus bonum, hoc est non malum, sed hæc per propriè dictam gratiam Dei fide credentis præcedente impetratam dari debet. Frustrà Scholastici gratiam, nescio quam, sufficientem infidelibus tribuunt antè fidem quâ bene operantes ad fidem ipsam provehantur, cum ipsa fides sit prima gratia.*

Igi-

Igitur ante fidem nulla datur gratia Paganis, nulla Judæis, nulla hæreticis, qui verâ fide carent & sincerâ boni cupiditate. Col. 818. *Hac quoque vera ratio est cur apud Augustinum indifferenter usurpentur, sine fide & sine gratiâ & sine charitate homines præceptum implere non posse.*

Quasi verò idem sit esse sine fide, & esse sine gratiâ. Atqui infideles, Judæi, hæretici sunt sine fide, ergo & sine gratiâ, atque adeò voluntas in illis nuda & inermis est sine gratiâ. Non posset clariùs exprimi Propositio 5. condemnata. Quod magis ex Jansenio confirmatur ibid. Col. 319. *Ex his*, inquit, *omnibus jam abundè manifestum esse puto indubitatam Augustini indolem ac doctrinam esse, quam diximus, quod infideles non solùm non habeant sufficientem gratiam servandi præcepta naturalia ante susceptam fidem, quod mirabili profectò exorbitatione Scholastici docuerunt, sed nullam omnino, quâ benè vivere possint, vel naturalem legem servare, vel peccata vitare; in ejus quippe principiis fides prima est gratia.*

Non opus Sophisticâ ut quis indè deducat: ergò nulli verâ fide destituti habent gratiam, inter quos indubiè comprehenduntur tum Pagani tùm Judæi, tùm hæretici. An apex desit Propositionis 5. proscriptæ Ecclesiastici judices decernant.

Præterco virulentas eorum epistolas, parallelum Massiliensium aliasque præsertim adversùs Jesuitas machinationes. Hîc profectò Jansenius & San-Cyranus, Lutheri, Calvini & ceterorum recentium hæresiarcharum propè institerunt vestigiis.

CAPUT XV.

Propositiones non paucæ ex damnatis ab Alexandro VIII. sunt Jansenii.

QUantâ verborum acrimoniâ persequi solent Jansenistæ libros scholasticorum, non Ethicos tantùm, sed & Theoricos! illos pestiferæ laxitatis insimulant, hos Pelagianismi instaurati, & eversæ Doctrinæ Augustinianæ, quam tot olim Conciliorum Decreta & Universæ Ecclesiæ approbatio consecrarunt. Si unam alteramve in libro quopiam propositionem ostendunt, Pontificis sententiâ condemnatam, quàm misero illius autori superbè insultant! quibus eum ubique dilacerant conviciis! liber non aliter expurgari potest., quàm infami incendio, neque ullum pegma ei satis vile est, ad orcum undè prodiit demergi debet iisdem cum autore suppliciis puniendus Ità novæ charitatis discipuli.

Jan-

Janſenianum autem volumen quamvis de innumeris erroribus, & damnatiſſimis convictum, prædicare nunquam deſinunt tanquam prorſus immaculatum, omnis nævi expers, Auguſtinianæ veritatis compendium, doctrinæ prorſus cœleſtis oraculis refertum, non magis obnoxium anathemati, quàm Paulinas Epiſtolas Spiritu ſancto dictante conſcriptas. Ad reprimendam iſtorum hominum tam inſanas voces & intolerabilem jactantiam juverit præter 5. famoſas propoſitiones hæreticas & Baianas multas, etiam complures Alexandri VIII. irrefragabili judicio proſcriptas & graviſſimis notatas cenſuris in Janſenio oſtendero.

Prima propoſitio ab Alexandro VIII. damnata: *in ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum mortale & demeritum ſufficit illa libertas, quâ voluntarium & liberum fuit in causâ ſua peccato originali & voluntate Adami peccantis.*

Janſenius lib. 3. de gratia Chriſti c. 10. col. 303. *Iſta ratio & radix eſt cur ſexcentis locis contrà Pelagianos doceat* (Auguſtinus) *quod alii juvantur, alii non juvantur divini eſſe judicii, quô nihil aliud docet, quàm quod loco citato docuit, juſtè videlicet quibuſdam gratiam ſubtrahi, ſine quâ impoſſibile eſt juſtum manere & injuſtum rectè vivere & peccata vitare quamvis velit.*

Immediatè antè dixerat hoc intelligendum non de *primo homine*, sed *de damnatâ ejus posteritate. Primum hominem* pronuntiat *deficiente adjutorio quo posset manere, si vellet, sine culpâ casurum, ejus verò posteritatem non posse obtendere suam innocentiam, si sibi illud deest, quia pœna peccati est, quòd subtrahitur.*

Si propter peccatum originale denegetur adultis gratia quâ possint justi manere, rectè vivere, vel peccata vitare, sicque peccantes non possint obtendere suam innocentiam, sed demereantur tum peccatis mortalibus, tum venialibus, ut vult Jansenius; igitur in statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum, sufficit illa libertas, quâ voluntarium ac liberum fuit in causâ sua peccato originali, & voluntate Adami.

Lib. 3. de Gratiâ Christi cap. 26. ubi attulit definitionem Augustini ex libro de duabus animabus cap. 11. *peccatum est motus voluntatis undè liberum est abstinere*, statim subdit, *quam definitionem sæpe* (Augustinus) *protestatur nulli peccato nisi solius primi hominis convenire*: Rationem reddit *quia cætera ità peccata sunt, ut simul sint præcedentium supplicia peccatorum*, quæ saltem commisimus in Adamo, & rectè plura peccata vocantur, quia, ut constat ex Tridentino, tot transgressiones

nes, distinctæ sunt, quot subjecta, ad quæ peccatum originale derivatur. Certum est non omnia peccata in nobis esse pœnas peccatorum personalium; evidens enim est quòd primum nostrum personale, aliud personale præsupponere nequeat. Igitur illud est pœna peccati originalis tantùm, neque habet in se libertatem, cum definitio Augustini juxtà Jansenium conveniat soli peccato primi hominis, quod solum requirebat libertatem, cæteris sufficiat esse pœnas peccati originalis, adeòque habuisse libertatem in Adamo. Undè rursùs sequitur prima propositio decreto Alexandri VIII. condemnata.

2. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.*

Jansenius lib. 2. de statu naturæ lapsæ caput quartum sic orditur; *sed hìc gigantea occurrit moles & ut videbitur, nodus insolubilis, quî fieri possit, ut ex invincibili ignorantiâ peccatum posait proficisci: Quis enim capiat ut homo in eo peccet, quod neque scit neque scire potuit, nec voluntate sua sivè volente sivè torpescente talis ignorantiæ causam dedit? Hujusmodi enim peccata jam non erunt nequidem voluntaria, quod ad peccati rationem omninò necessarium est, sed necessaria. Et quis credat tale portentum doctissimum*

 san-

ſanctiſsimumque virum docere potuiſſe ? ſi te benigne lector iſta difficultas fortè movet, profectò movet & me, non tamen ità ut vel dubitem doctrinam illam Auguſtinum tradidiſſe, vel in eâ tradendâ fluctuaſſe vel hallucinatum eſſe, ſed potiùs ut obſtupeſcam & exhorreſcam profunditatem judiciorum Dei. Certiſsimum eſt enim, quantum excusſis magno labore diligentiâque principiis Auguſtini & anfractibus doctrinæ ipſius, mihi judicare licet, hoc Auguſtinum, hoc Hieronymum, hoc Concilium Palæſtinum ſine ullâ fluctuatione ut rem in Catholicâ Eccleſiâ extrà omnem controverſiam, tamquam in Scripturis traditam, docuiſſe; rectè an ſecùs, pietas noſtra in dubium revocare non ſinit ne eâdem operâ victoriæ quoque veritatem & æquitatem, quâ de Pelagianâ hæreſi triumphatum eſt, in dubium revocemus. Quæcumque nos hic movent rationis humanæ, ſed plerumque vanæ terriculamenta ſunt, hæc munimenta divina ſunt.

Ubi vides horrendum dogma de ignorantiâ invincibili non excuſante in ſtatu naturæ lapſæ traditum à Janſenio tamquam ſententiam, de cujus veritate nemo, niſi fidei noſtræ fundamenta concutiendo poſſit ambigere. Fatetur hinc oriri neceſſitatem peccandi, ſed cum hæc oritatur ex peccato originali, aſſerit illam non excuſare. Ibid. Col. 300. *tamtum abeſt*, inquit, *ut Auguſtinus hujuſmodi ſuis pro-*

nun-

nuntiatis, quæ ante exortam hæresim Pelagianam asseruerat, territus fuerit, vel aliquid in doctrinâ suâ invincibilis ignorantiæ, quam tradidimus, immutaverit, ut potiùs è contrariò necessitatem peccandi ex eâ consequi ingenuè fassus fuerit, imò velut rem certissimam protulerit, ex qua necessitas illa, quæ in originali peccato sine omni omninò personalis voluntatis voluntario cernitur, evidentiùs probaretur, & pleniùs innotesceret.

Non distinguit Jansenius inter justificatos & non justificatos, sed æqualiter in utrisque ignorantiam invincibilem à peccato non excusantem profitetur. Agere verò Jansenium de peccato formali certum est omnibus & evidens adeò, ut ne ex Jansenii quidem defensoribus quisquam in dubium revocaverit.

Eandem propositionem tradit Jansenius lib. 2. de statu naturæ lapsæ C. 2. Col. 287. *Generale namque videtur*, inquit, *Scholasticorum pronuntiatum esse, quod quidquid ex invincibili fit ignorantia hoc ipso culpâ vacat* (seu peccato formali) *quæ sanè doctrina quamvis humanæ rationi, quâ nititur, valdè plausibilis esse videatur* tamen dicit esse contrariam Augustino, Pelagianam, & in hoc Pelagianorum principio fundatam: *Ignorantia quæ evenit secundùm necessitatem non voluntatem, non subjacet peccato.* Ibid. dicit doctrinam illa acriter à Catholicis defensoribus oppugna-

Hæc o
proponit
dicta sunt
fus : Orig
præcipua
Omnia
tur Relig
scholastica
autem, ut
hisce Theol
tenus Mon

Igitur censebat Jansenius peccata esse formalia, quæcunque adversùs legem naturalem ex ignorantiâ invincibili perpetrantur, neque ad venialem culpam ea usquam restringit, sed contra, ubique clamat ea nos reddere damnationi obnoxios.

3. Propositio damnata: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Sequitur ex priori; si enim ignorantia invincibilis non excuset in statu naturæ lapsæ minus excusat probabilitas quantumvis cogitetur magna. Ubi probabilissimum est, legem aliquam seu imperantem seu prohibentem non existere, etiamsi fortè reipsâ existat, non censetur sufficienter promulgata, ut obliget in actu secundo eum, cui probabilissimum est legem non esse, adeoque contrà legem agendo non peccat. Egit simpliciter, ut supponitur, quidquid moraliter potuit, ut veritatem assequeretur, quam si apprehendere non potuerit, ut ignorantia ejus & error invincibilis, sic & actus quicumque hinc secutus legi contrarius à peccati formalis malitiâ immunis definitur contrà Jansenium.

4. Propositio damnata: *Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo non pro solis electis, sed pro omnibus & solis fidelibus.*

Jansenius lib. 3. de gratia Salv. C. 21. Col. 383.

383. *Ex quibus*, inquit, *clarum est, non aliter Augustini judicio Christum se redemptionem pro omnibus dedisse seu propitiationem esse pro peccatis totius mundi, nisi quia pro peccatis omnium fidelium ex quibus una Catholica constituitur Ecclesia redemptio atque propitiatio est. Nec in universis Augustini operibus, ni fallor, locus est, ubi doceat Christum pro peccatis infidelium in infidelitate permanentium esse propitiationem, vel pro iis se dedisse redemptionem, contrarium verò non semel significavit.* Quam sententiam ibidem approbans etiam Scripturis Sacris & Conciliis Jansenius affingit.

Cum audis Jansenium prædicantem mortem Christi pro peccatis omnium fidelium, ne existimes id intelligendum de omnium fidelium peccatis prorsus omnibus, non enim pro remissione peccati finalis eorum, qui in justitiâ non perseverant, cùm pro nullius reprobi æternâ salute Christum mortuum esse non magis quam pro æternâ salute dæmonum inculcet Jansenius eodem Capite Col. 390. *Quæ sanè*, inquit, *cum in Augustini doctrinâ perspicua certaque sint, nullo modò principiis ejus consentaneum est ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æternâ salute mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse,*

Patrem oraſſe ſentiatur....ut juxtà Sanctiſſimum Doctorem non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum, quàm pro diaboli deprecatus fuerit.

5. Propoſitio damnata : *Pagani, Judæi, Hæretici aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Jeſu Chriſto influxum, adeòque hinc rectè inferes in illis eſſe voluntatem nudam & inermem ſine omni gratiâ ſufficiente.*

Janſenius lib. 3. de Grat. Salvat. Capiti II. hunc præfigit Titulum : *Infideles carent omni gratiâ ſufficienti ad ſalutem tam proximâ, quàm remotâ, & omnibus principiis ejus.* Poſtquam initio capitis gratiam, quam Scholaſtici infidelibus concedunt, dixerat cogitationem aliquam eſſe ab objectis etiam naturalibus ſuſcitatam, aut diminutionem virium adverſarii, amotionem occaſionis, quâ tentamur, terrorem, blanditias objecti alterius, aut generaliter aliquod adjutorium gratiæ naturalis in ſubſtantiâ, mox ſubdit : *Et quidem eos omni tali gratiâ carere nullam in Auguſtini principiis dubitationem continet, quidquid enim diximus ut Judæos* (etiam tempore legis Moſaicæ) *gratiâ ſufficienti ſervandi præcepta legis caruiſſe probaremus, multò validiùs in infidelibus locum habet prout res ipſa per ſe loquitur......uterque verò ſtatus expers gratiæ eſt, & ab Auguſtino vocari ſolet ante gratiam, ut per hoc ipſum ſignificet utrumque ſta-*

tum

tum carere gratiâ non solum faciendi bonum, sed gratiâ non faciendi id quod prohibetur malum, sive non consentiendi carnalibus concupiscentiis...... Ostendemus duos illos status sub quorum altero necessariò infideles vivunt, non solum omni gratiâ Christi destitutos esse ad cavendas superandasque tentationes, sed etiam in statibus illis deesse arbitrio libertatem ad bonum: hoc arbitrium voluntatis non esse liberum ad faciendum aliquem actum bonum, sed tantummodò ad malum; utpotè quod sub libidinibus rerum terrenarum, & carnalium servum captivumque teneatur, à quibus nisi per ipsam solam fidem liberatoris Christi liberari nullo pacto potest. Ubi licet de infidelibus, qui veri Dei notitiâ destituti sunt agat, potissimum tamen etiam ad alios quoscumque à fide Catholicâ aberrantes dictum extendit, nam & hi verâ supernaturali fide liberatoris carent.

Mens hæc Jansenii magis elucet Ibid. Col. 313. *Quapropter*, inquit, *si infideles illâ ipsâ cupiditate sincerâ boni carent, sine quâ esse non potest ullum opus bonum, hoc est non malum, sed hæc per propriè dictam gratiam Dei fide credentis præcedente impetratam dari debet. Frustrà Scholastici gratiam, nescioquam, sufficientem infidelibus tribuunt antè fidem quâ bene operantes ad fidem ipsam provehantur, cum ipsa fides sit prima gratia.*

Igi-

Igitur ante fidem nulla datur gratia Paganis, nulla Judæis, nulla hæreticis, qui verâ fide carent & sincerâ boni cupiditate. Col. 818. *Hæc quoque vera ratio est cur apud Augustinum indifferenter usurpentur, sine fide & sine gratiâ & sine charitate homines præceptum implere non posse.*

Quasi verò idem sit esse sine fide, & esse sine gratiâ. Atqui infideles, Judæi, hæretici sunt sine fide, ergo & sine gratiâ, atque adeò voluntas in illis nuda & inermis est sine gratiâ. Non posset clariùs exprimi Propositio 5. condemnata. Quod magis ex Jansenio confirmatur ibid. Col. 319. *Ex his*, inquit, *omnibus jam abundè manifestum esse puto indubitatam Augustini indolem ac doctrinam esse, quam diximus, quod infideles non solùm non habeant sufficientem gratiam servandi præcepta naturalia ante susceptam fidem, quod mirabili profectò exorbitatione Scholastici docuerunt, sed nullam omnino, quâ benè vivere possint, vel naturalem legem servare, vel peccata vitare; in ejus quippe principiis fides prima est gratia.*

Non opus Sophisticâ ut quis indè deducat: ergò nulli verâ fide destituti habent gratiam, inter quos indubiè comprehenduntur tum Pagani tùm Judæi, tùm hæretici. An apex desit Propositionis 5. proscriptæ Ecclesiastici judices decernant.

Prop. 6. *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quàm perniciosa est, sic ut meritò possimus petere à gratiâ sufficiente libera nos domine.*

Jansenius lib. 3. de gratia Salv. capiti 2. hunc titulum præponit: *adjutorium purè sufficiens ad gratiam naturæ pertinet: lapsorum reparationi inutile & perniciosum.* In ipso capite col. 254. *Nimirùm vidit consequenter Augustinus hoc adjutorii genus jam esse prorsus inutile lapsorum reparationi, vel operationibus, etiamsi ad sexcentos sufficientiæ gradus augeretur.*

Sub finem capitis col. 257. *Quod si lapsis hominibus est inutilis, profectò hoc ipso & perniciosa est. Et verò quid homini misero perniciosius, quàm illâ gratiâ abundare, quâ nemo umquam, fatentibus etiam scholasticis, nisi majorem damnationem assequutus est.*

Rursùs cap. 3. ejusdem lib. col. 258. *Itaque illud à recentioribus prolatum gratiæ sufficientis genus, quo adjuvante nullum umquàm opus factum est, aut fiet umquàm, si est verum distinctumque à gratiâ efficace membrum, videtur monstrum quoddam singulare gratiæ, solummodò peccatis faciendis majorique damnationi accersendæ serviens.* Numquid hic terminis æquivalentibus asseritur meritò nos petere à gratia sufficienti libera nos domine? quis enim meritò non petat ut liberetur à monstro singulari,

quod

quod solummodò peccatis faciendis, majorique damnationi accersendæ serviat? quod inutile & perniciosum adeò est ut illo nihil sit homini in hoc statu perniciosius?

Prop. 7. *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi, si Dei, Charitas est Patris, si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est.* Jansenius lib. 3. de statu naturæ lapsæ c. 19. in titulo. *Non datur medium inter charitatem & culpabilem cupiditatem.* Initio capitis col. 517. *Omnis affectus animi in alicujus rei amore velut cardine versatur, qui cum non possit esse alius nisi vel creatoris, vel creaturæ, & ille bonus, hic culpabilis sit, utpotè amor mundi ab Apostolo vetitus, & juxtà Augustinum ipsa ratio peccati, quæ in omni malefaciendi genere dominanatur, profectò liquet omnem amorem præter istam charitatem, esse illam culpabilem cupiditatem.* Per charitatem intelligit, ut ibidem disertè exprimit, charitatem, quâ Deus gratis & propter se diligitur. Lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 13. col. 355. *cupiditatem docet* (Augustinus juxtà Jansenium) *esse quemcumque amorem cujuscumque creaturæ, & hoc ipso in eam incidi, quo non amatur creator: esse amorem creaturæ propter se, esse ex diametro oppositum charitati, nec inter illam & charitatem esse medium.* Ibid. *Si non est dilectio, id est amor incommutabilis veri-*

 ta-

Immediatè antè dixerat hoc intelligendum non de *primo homine*, sed *de damnatâ ejus posteritate. Primum hominem* pronuntiat *deficiente adjutorio quo posset manere, si vellet, sine culpâ casurum, ejus verò posteritatem non posse obtendere suam innocentiam, si sibi illud deest, quia pœna peccati est, quòd subtrahitur.*

Si propter peccatum originale denegetur adultis gratia quâ possint justi manere, rectè vivere, vel peccata vitare, sicque peccantes non possint obtendere suam innocentiam, sed demereantur tum peccatis mortalibus, tum venialibus, ut vult Jansenius; igitur in statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum, sufficit illa libertas, quâ voluntarium ac liberum fuit in causâ sua peccato originali, & voluntate Adami.

Lib. 3. de Gratiâ Christi cap. 26. ubi attulit definitionem Augustini ex libro de duabus animabus cap. 11. *peccatum est motus voluntatis undè liberum est abstinere*, statim subdit, *quam definitionem sæpe* (Augustinus) *protestatur nulli peccato nisi solius primi hominis convenire*: Rationem reddit *quia cætera ità peccata sunt, ut simul sint præcedentium supplicia peccatorum*, quæ saltem commisimus in Adamo, & rectè plura peccata vocantur, quia, ut constat ex Tridentino, tot transgressio-

nes

nes; distinctæ sunt, quot subjecta, ad quæ peccatum originale derivatur. Certum est non omnia peccata in nobis esse pœnas peccatorum personalium; evidens enim est quòd primum nostrum personale, aliud personale præsupponere nequeat. Igitur illud est pœna peccati originalis tantùm, neque habet in se libertatem, cum definitio Augustini juxtà Jansenium conveniat soli peccato primi hominis, quod solum requirebat libertatem; cæteris sufficiat esse pœnas peccati originalis, adeòque habuisse libertatem in Adamo. Undè rursùs sequitur prima propotio decreto Alexandri VIII. condemnata.

2. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.*

Jansenius lib. 2. de statu naturæ lapsæ caput quartum sic orditur; *sed hìc gigantea occurrit moles & ut videbitur, nodus insolubilis, quî fieri possit, ut ex invincibili ignorantiâ peccatum possit proficisci. Quis enim capiat ut homo in eo peccet, quod neque scit neque scire potuit, nec voluntate sua sivè volente sivè torpescente talis ignorantiæ causam dedit? Hujusmodi enim peccata jam non erunt nequidem voluntaria, quod ad peccati rationem omninò necessarium est, sed necessaria. Et quis credat tale portentum doctissimum*

ſanctiſsimumque virum docere potuiſſe ? ſi te benigne lector iſta difficultas fortè movet, profectò movet & me, non tamen ità ut vel dubitem doctrinam illam Auguſtinum tradidiſſe, vel in eâ tradendâ fluctuaſſe vel hallucinatum eſſe, ſed potiùs ut obſtupeſcam & exhorreſcam profunditatem judiciorum Dei. Certiſsimum eſt enim, quantum excusſis magno labore diligentiâque principiis Auguſtini & anfractibus doctrinæ ipſius, mihi judicare licet, hoc Auguſtinum, hoc Hieronymum, hoc Concilium Palæſtinum ſine ullâ fluctuatione ut rem in Catholicâ Eccleſiâ extrà omnem controverſiam, tamquam in Scripturis traditam, docuiſſe; rectè an ſecùs, pietas noſtra in dubium revocare non ſinit ne eâdem operâ victoriæ quoque veritatem & æquitatem, quâ de Pelagianâ hæreſi triumphatum eſt, in dubium revocemus. Quæcumque nos hic movent rationis humanæ, ſed plerumque vanæ terriculamenta ſunt, hæc munimenta divina ſunt.

Ubi vides horrendum dogma de ignorantiâ invincibili non excuſante in ſtatu naturæ lapſæ traditum à Janſenio tamquam ſententiam, de cujus veritate nemo, niſi fidei noſtræ fundamenta concutiendo poſſit ambigere. Fatetur hinc oriri neceſſitatem peccandi, ſed cum hæc oritatur ex peccato originali, aſſerit illam non excuſare. Ibid. Col. 300. *tantum abeſt*, inquit, *ut Auguſtinus hujuſmodi ſuis pronun-*

nuntiatis, quæ ante exortam hæresim Pelagianam asseruerat, territus fuerit, vel aliquid in doctrinâ suâ invincibilis ignorantiæ, quam tradidimus, immutaverit, ut potiùs è contrariò necessitatem peccandi ex eâ consequi ingenuè fassus fuerit, imò velut rem certissimam protulerit, ex qua necessitas illa, quæ in originali peccato sine omni omninò personalis voluntatis voluntario cernitur, evidentiùs probaretur, & pleniùs innotesceret.

Non distinguit Jansenius inter justificatos & non justificatos, sed æqualiter in utrisque ignorantiam invincibilem à peccato non excusantem profitetur. Agere verò Jansenium de peccato formali certum est omnibus & evidens adeò, ut ne ex Jansenii quidem defensoribus quisquam in dubium revocaverit.

Eandem propositionem tradit Jansenius lib. 2. de statu naturæ lapsæ C. 2. Col. 287. *Generale namque videtur*, inquit, *Scholasticorum pronuntiatum esse, quod quidquid ex invincibili fit ignorantia hoc ipso culpâ vacat* (seu peccato formali) *quæ sanè doctrina quamvis humanæ rationi, quâ nititur, valdè plausibilis esse videatur* tamen dicit esse contrariam Augustino, Pelagianam, & in hoc Pelagianorum principio fundatam: *Ignorantia quæ evenit secundùm necessitatem non voluntatem, non subjacet peccato.* Ibid. dicit doctrinam illa acriter à Catholicis defensoribus oppugna-

gna.

gnatam & à judicibus (Ecclesiæ) condemnatam in Synodo Palestinâ, &c.

Col. 290. *Quæ sanè perquam evidenter ostendere videntur sententiam illam, quod ignorantia necessitatis non voluntatis, hoc est invincibilis peccato non subjaceat, Catholicorum Episcoporum judicio in Synodo præsidentium, & Augustini toties illud approbantis calculo, sine ullâ tergiversatione esse damnatam.* Ubi subjacere peccato non accipit Jansenius ut Palestinæ Synodi Patres pro effectu peccati originalis & peccato merè materiali, sed pro peccato, *quod culpâ non vacet*, ut constat ex Col. 287.

Totum hoc breviter & clarissimè docet Jansenius lib. 2. de statú naturæ lapsæ c. 5. in fine. *Legis*, inquit, *naturalis ignorantia, sive sit vincibilis, ut in gravioribus delictis, præsertim, quibus proximus læditur contingere solet, sive sit invincibilis, ut in iis forsan, quæ magis à principiis distant conclusionibus naturalibus, & in variarum occursu subito circumstantiarum plerumque accidit, non excusat à peccato delinquentes. Sed de his & similibus delictis Augustini humilitas tremebat, quando propter subitas diversasque circumstantias in discernendo illo naturæ jure perplexus exclamabat: delicta quis intelligit, & Davidis pietas cum tota Ecclesiâ gemebat: Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris.*

Igi-

Igitur censebat Jansenius peccata esse formalia, quæcumque adversùs legem naturalem ex ignorantiâ invincibili perpetrantur, neque ad venialem culpam ea usquam restringit, sed contra, ubique clamat ea nos reddere damnationi obnoxios.

3. Propositio damnata: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Sequitur ex priori; si enim ignorantia invincibilis non excuset.in statu naturæ lapsæ minus excusat probabilitas quantumvis cogitetur magna. Ubi probabilissimum est, legem aliquam seu imperantem seu prohibentem non existere, etiamsi fortè reipsâ existat, non censetur sufficienter promulgata, ut obliget in actu secundo eum, cui probabilissimum est legem non esse, adeoque contrà legem agendo non peccat. Egit simpliciter, ut supponitur, quidquid moraliter potuit, ut veritatem assequeretur, quam si apprehendere non potuerit, ut ignorantia ejus & error invincibilis, sic & actus quicumque hinc secutus legi contrarius à peccati formalis malitiâ immunis definitur contrà Jansenium.

4. Propositio damnata: *Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo non pro solis electis, sed pro omnibus & solis fidelibus.*

Jansenius lib. 3. de gratia Salv. C. 21. Col. 383.

383. *Ex quibus*, inquit, *clarum est, non aliter Augustini judicio Christum se redemptionem pro omnibus dedisse seu propitiationem esse pro peccatis totius mundi, nisi quia pro peccatis omnium fidelium ex quibus una Catholica constituitur Ecclesia redemptio atque propitiatio est. Nec in universis Augustini operibus, ni fallor, locus est, ubi doceat Christum pro peccatis infidelium in infidelitate permanentium esse propitiationem, vel pro iis se dedisse redemptionem, contrarium verò non semel significavit.* Quam sententiam ibidem approbans etiam Scripturis Sacris & Conciliis Jansenius affingit.

Cum audis Jansenium prædicantem mortem Christi pro peccatis omnium fidelium, ne existimes id intelligendum de omnium fidelium peccatis prorsus omnibus, non enim pro remissione peccati finalis eorum, qui in justitiâ non perseverant, cùm pro nullius reprobi æternâ salute Christum mortuum esse non magis quam pro æternâ salute dæmonum inculcet Jansenius eodem Capite Col. 390. *Quæ sanè*, inquit, *cum in Augustini doctrinâ perspicua certaque sint, nullo modò principiis ejus consentaneum est ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æternâ salute mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse,*

Pa-

Patrem orasse sentiatur....ut juxtà Sanctissimum Doctorem non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum, quàm pro diaboli deprecatus fuerit.

5. Propositio damnata : *Pagani, Judæi, Hæretici aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Jesu Christo influxum, adeòque hinc rectè inferes in illis esse voluntatem nudam & inermem sine omni gratiâ sufficiente.*

Jansenius lib. 3. de Grat. Salvat. Capiti II. hunc præfigit Titulum : *Infideles carent omni gratiâ sufficienti ad salutem tam proximâ, quàm remotâ, & omnibus principiis ejus.* Postquam initio capitis gratiam, quam Scholastici infidelibus concedunt, dixerat cogitationem aliquam esse ab objectis etiam naturalibus suscitatam, aut diminutionem virium adversarii, amotionem occasionis, quâ tentamur, terrorem, blanditias objecti alterius, aut generaliter aliquod adjutorium gratiæ naturalis in substantiâ, mox subdit : *Et quidem eos omni tali gratiâ carere nullam in Augustini principiis dubitationem continet, quidquid enim diximus ut Judæos* (etiam tempore legis Mosaicæ) *gratiâ sufficienti servandi præcepta legis caruisse probaremus, multò validiùs in infidelibus locum habet prout res ipsa per se loquitur.......uterque verò status expers gratiæ est, & ab Augustino vocari solet ante gratiam, ut per hoc ipsum significet utrumque statum*

tum carere gratiâ non solum faciendi bonum, sed gratiâ non faciendi id quod prohibetur malum, sive non consentiendi carnalibus concupiscentiis...... Ostendemus duos illos status sub quorum altero necessariò infideles vivunt, non solum omni gratiâ Christi destitutos esse ad cavendas superandasque tentationes, sed etiam in statibus illis deesse arbitrio libertatem ad bonum: hoc arbitrium voluntatis non esse liberum ad faciendum aliquem actum bonum, sed tantummodò ad malum; utpotè quod sub libidinibus rerum terrenarum, & carnalium servum captivumque teneatur, à quibus nisi per ipsam solam fidem liberatoris Christi liberari nullo pacto potest. Ubi licet de infidelibus, qui veri Dei notitiâ destituti sunt agat, potissimum tamen etiam ad alios quoscumque à fide Catholicâ aberrantes dictum extendit, nam & hi verâ supernaturali fide liberatoris carent.

Mens hæc Jansenii magis elucet Ibid. Col. 313. *Quapropter*, inquit, *si infideles illâ ipsa cupiditate sincerâ boni carent, sine quâ esse non potest ullum opus bonum, hoc est non malum, sed hæc per propriè dictam gratiam Dei fide credentis præcedente impetratam dari debet. Frustrà Scholastici gratiam, nescio quam, sufficientem infidelibus tribuunt antè fidem quâ bene operantes ad fidem ipsam provehantur, cum ipsa fides sit prima gratia.*

Igitur ante fidem nulla datur gratia Paganis, nulla Judæis, nulla hæreticis, qui verâ fide carent & sincerâ boni cupiditate. Col. 818. *Hæc quoque vera ratio est cur apud Augustinum indifferenter usurpentur, sine fide & sine gratiâ & sine charitate homines præceptum implere non posse.*

Quasi verò idem sit esse sine fide, & esse sine gratiâ. Atqui infideles, Judæi, hæretici sunt sine fide, ergo & sine gratiâ, atque adeò voluntas in illis nuda & inermis est sine gratiâ. Non posset clariùs exprimi Propositio 5. condemnata. Quod magis ex Jansenio confirmatur ibid. Col. 319. *Ex his*, inquit, *omnibus jam abundè manifestum esse puto indubitatam Augustini indolem ac doctrinam esse, quam diximus, quod infideles non solùm non habeant sufficientem gratiam servandi præcepta naturalia ante susceptam fidem, quod mirabili profectò exorbitatione Scholastici docuerunt, sed nullam omnino, quâ benè vivere poßint, vel naturalem legem servare, vel peccata vitare; in ejus quippe principiis fides prima est gratia.*

Non opus Sophisticâ ut quis indè deducat: ergò nulli verâ fide destituti habent gratiam, inter quos indubiè comprehenduntur tum Pagani tùm Judæi, tùm hæretici. An apex desit Propositionis 5. proscriptæ Ecclesiastici judices decernant.

R Prop.

Prop. 6. *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quàm perniciosa est, sic ut meritò possimus petere à gratiâ sufficiente libera nos domine.*

Jansenius lib. 3. de gratia Salv. capiti 2. hunc titulum præponit: *adjutorium purè sufficiens ad gratiam natnræ pertinet: lapsorum reparationi inutile & perniciosum.* In ipso capite col. 254. *Nimirùm vidit consequenter Augustinus hoc adjutorii genus jam esse prorsus inutile lapsorum reparationi, vel operationibus, etiamsi ad sexcentos sufficientiæ gradus augeretur.*

Sub finem capitis col. 257. *Quod si lapsis hominibus est inutilis, profectò hoc ipso & perniciosa est. Et verò quid homini misero perniciosius, quàm illâ gratiâ abundare, quâ nemo umquam, fatentibus etiam scholasticis, nisi majorem damnationem assequutus est.*

Rursùs cap. 3. ejusdem lib. col. 258. *Itaque illud à recentioribus prolatum gratiæ sufficientis genus, quo adjuvante nullum umquàm opus factum est, aut fiet umquàm, si est verum distinctumque à gratiâ efficace membrum, videtur monstrum quoddam singulare gratiæ, solummodò peccatis faciendis majorique damnationi accersendæ serviens.* Numquid hic terminis æquivalentibus asseritur meritò nos petere à gratia sufficienti libera nos domine? quis enim meritò non petat ut liberetur à monstro singulari, quod

quod solummodò peccatis faciendis, majorique damnationi accersendæ serviat? quod inutile & perniciosum adeò est ut illo nihil sit homini in hoc statu perniciosius?

Prop. 7. *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi, si Dei, Charitas est Patris, si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est.* Jansenius lib. 3. de statu naturæ lapsæ c. 19. in titulo. *Non datur medium inter charitatem & culpabilem cupiditatem.* Initio capitis col. 517. *Omnis affectus animi in alicujus rei amore velut cardine versatur, qui cum non possit esse alius nisi vel creatoris, vel creaturæ, & ille bonus, hic culpabilis sit, utpotè amor mundi ab Apostolo vetitus, & juxtà Augustinum ipsa ratio peccati, quæ in omni malefaciendi genere dominanatur, profectò liquet omnem amorem præter istam charitatem, esse illam culpabilem cupiditatem.* Per charitatem intelligit, ut ibidem disertè exprimit, charitatem, quâ Deus gratis & propter se diligitur. Lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 13. col. 355. *cupiditatem docet* (Augustinus juxtà Jansenium) *esse quemcumque amorem cujuscumque creaturæ, & hoc ipso in eam incidi, quo non amatur creator: esse amorem creaturæ propter se, esse ex diametro oppositum charitati, nec inter illam & charitatem esse medium.* Ibid. *Si non est dilectio, id est amor incommutabilis veri-*

 ta-

tatis sive Dei, jam esse cupiditatem. Ipsum actum spei vocat VITIOSAM CUPIDITATEM lib. 3. de Gratiâ Salv. cap. 9. col. 529. & lib. 5. cap. 9. col. 526. verba dabo ubi de propositione 10.

Prop. 8. damnata : *Necesse est infidelem in omni opere peccare.*

Jansenius lib. 3. de gratiâ Salv. c. 11. col. 306. *Tertiò*, inquit, *probavimus fusè in præcedentibus nullum omninò bonum moraliter opus, hoc est nullum opus quod non sit peccatum, ab infidelibus posse fieri, sed quidquid faciant, quoquo modo se vertant, quamcumque rectam meditentur operationem, totum in eis perversi amoris cupiditate contaminatum esse.* Et necessariò sequitur ex principiis ab eo positis, necesse enim est hominem Dei gratiâ destitutum peccare in omni opere juxtà Jansenium, cum nullum detur opus indifferens, sed omne bonum sit vel malum, nullum verò bonum juxtà eundem fieri possit sine gratiâ. Quidquid igitur sine gratia fit, malum est. Atqui capite citato col. 309. dicit *Augustinum* (subintelligè Iprensem) *antè fidem nullam omninò gratiam sivè efficacem sive sufficientem ad quidquam benè operandum in infidelibus novisse*, errare verò scholasticos gratiam aliquam antè fidem statuentes. Lib. 4. de statu naturæ lapsæ c. 3. col. 559.

more suo sententiam suam nomine Augustini exprimens dicit: *mentem quippe suam quâ sentit omnia omninò opera infidelium nullo excepto esse vera peccata, nec esse posse nisi peccata, tantâ manifestatione declaravit, ut si solis radiis eam scribere voluisset, vix arbitror illustriùs eam nobis depingere potuisse.*

Prop. 9. damnata: *Reverâ peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem & disconvenientiam cum naturâ, sine ullo ad Deum offensum respectu.* Continetur in propositione 7. si enim, ut ibi docet Jansenius, omnis actio, quæ non est charitas, quâ Deus gratis & propter se diligitur sit amor mundi vitiosus ab Apostolo vetitus, & ipsa ratio peccati & culpabilis cupiditas, necesse est eum reverâ peccare, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem & disconvenientiam cum naturâ sine ullo ad Deum offensum respectu, quia sic elicit actum aliquem peccaminosum, sive qui non sit charitas, quâ Deus gratis & propter se diligitur.

Prop. 10. *Intentio, quâ quis detestatur malum & prosequitur bonum merè ut cælestem obtineat gloriam non est recta, nec Deo placens.*

Etiam hæc continetur in iis quæ Jansenius docet lib. 3. de statu naturæ lapsæ cap. 19. col. 517. verbis suprà citatis. Nam inten-

tio, quâ quis deteſtatur malum & proſequitur bonum merè ut cœleſtem obtineat gloriam non eſt charitas, quâ Deus gratis & propter ſe diligitur. Atqui omnis actio deliberata, quæ non eſt talis charitas eſt juxtà Janſenium ibid. *culpabilis cupiditas*, *ipſa ratio peccati*, *amor mundi vitioſus*, & *ab Apoſtolo vetitus*. Ergò non eſt recta intentio nec Deo placens.

Lib. 3. de Gratiâ Salv. cap. 9. ſpecialiter de ſpe Chriſtianâ agens, fuſè docet amorem ſeu deſiderium, quo Deum nobis cupimus, non eſſe rectum, ſed cupiditatem vitioſam, niſi in Deum feratur tamquàm finem, non tantùm *qui*, ſed etiam *cui*, ſivè niſi Deo deſideretur, propterea quod in ſe bonus eſt, & quia Deo bonum eſt, quod à nobis poſſideatur, non verò quia Deus à nobis per viſionem & amorem poſſeſſus eſt nobis unicè optabilis & bonus. *Concupiſcentia verò reſpectu Dei*, inquit Janſenius capite citato col. 525. *amor vitioſus eſt......quæ cauſa eſt cur tam ſollicitè ſemper commendet Auguſtinus ut Deus diligatur gratis nullo promanantis indè in nos commodi, aut mercedis, aut voluptatis conſideratione, atque retorſione*, licèt commodum & merces aliud non ſit quàm Deus ipſe per viſionem, & amorem poſſeſſus.

Un-

Undè col. 526. docet eos injurios esse spei Christianæ, qui eam à charitate distinguunt. *Hinc jam perspicuè constare arbitror*, inquit, *non mediocriter eos falli, qui spem Christianam tantopere deprimunt, ut eam subtrahant charitati, quasi ille, qui diligit charitate, hoc ipso quo desiderat & sperat præsentiam dilecti sui, ab unico & vero objecto suo in se ipsum resiliret* (tamquam in finem *cui* ut apertè atque luculentissimè se explicat, idem sæpius repetens eodem capite) *& quodam sinceritatis adulterio puritatem divinæ, & gratuitæ charitatis in concupiscentiæ amorem, aut in mercenariæ cupiditatis fœditatem verteret.*

Prop. 11. damnata: omne quod non est ex fide Christianâ supernaturali quæ per dilectionem operatur, peccatum est. Jansenius lib. 4. de statu naturæ lapsæ in titulo cap. 3. *Sola absentia fidei sufficit, ut omnia opera infidelium vera peccata sint.* In ipso capite sub initium: *quamvis verissimum sit quandocumque infideles aliquid boni videntur agere, semper adesse finem malum, de ultimo actionis fine loquendo* (quia referunt ad creaturam) *hoc tamen unicum Augustino sufficit ut omnia ipsorum opera peccata sint, quod negativè non referuntur neque referri possint ad illum, ad quem omnis actio creaturæ rationalis referri debet. . . . . . . hoc ipso quo*

non

non est finis ille debitus, qui est verus Deus, & fide per dilectionem operante intentionemque finis dirigente proponi debet, opus esse malum.

Nullam dari apud Jansenium dilectionem Dei nisi supernaturalem, constat ex libro ejus primo de statu naturæ puræ cap. x. cujus hic est titulus. *Refellitur responsio, quâ putari posset justitiam, &c. diligi posse dilectione naturali.* In ipso capite col. 727. *sine illo spiritu gratiæ, qui justitiam diligi facit non potest aliud in animo dominari nisi dilectio peccati, quod illi justitiæ tamquam injustitia directè adversatur.* Ibid dicit, sententiam, quæ dividit amorem justitiæ in naturalem & supernaturalem esse Pelagianam. *Distinctio*, inquit, *duplicis dilectionis justitiæ, quarum altera sit naturalis, altera supernaturalis ab Augustini, &c. principiis aliena est, quâ sanè gratior Pelagianis dari nequit*; Cumque ut jam ostensum est, omnis amor, qui non est amor justitiæ, Jansenio peccatum sit, sequitur juxtà hunc autorem, omne quod non est ex fide, quæ per dilectionem operatur, esse peccatum. Plura ex Jansenio dat Hilarius à S. Sepulchro in reflexione ad propositionem 11.

Prop. 12. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana.*

Jans.

Janſ. l. 5. de Gratia Chriſti cap. 7. Col. 516. *Talis igitur amor Dei, niſi voluntatem hominis ad credendum flectat, non erit fides Chriſtiana, ſed vel dæmonum ex pœnarum timore, vel carnalis ex mundi amore, quarum neutra eſt fides, ex quâ fideles nuncupamur.*

Neque Janſenio ad fidem Divinam ſufficit qualiſcumque amor Dei, ut intelligi poſſit amor concupiſcentiæ, vel alius latè dictus, ut ceteræ virtutes, quandoque generali charitatis nomine intelliguntur, ſed requiri amorem benevolum, & ſtrictè dictum, licèt non ſuper omnia. Sic enim immediatè antè, amorem ad fidem requiſitum explicat: *Auguſtinus igitur charitatem accipere plerumque ſolet pro dilectione, quà verè, ſincerè, gratis ex animo propter ſeipſum, nullius creaturæ, ſed ipſius ſolius intuitu diligitur Deus, ſive ad illam pertingat perfectionem, ut ſuper omnia creata diligatur, ſive in ſimpliciori, & inferiori hæreat; nam talis amor, quantumcumque remiſſus, exilis ac tenuis, eſt veriſſimus, & caſtiſſimus fructus charitatis Dei, ſive dilectionis amicitiæ, nulla concupiſcentiæ ad ſe reflexæ perverſitate diſtortus.* Tum ſubjungit verba ſuperiùs citata: *Talis igitur amor Dei, &c.*

Prop. 13. *Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio*

non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

Janſ. l. 3. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 1ᵕ. Col. 517. *Hæc ergo ratio à priori eſt, quam tanquam immobilem, & ex æternâ lege pendentem Auguſtinus tradit, cur nullum detur medium inter charitatem, atque culpabilem cupiditatem.* Charitatem hanc ibidem explicat ita ut ſit *amor, quo Deus gratis, & propter ſe, ſive ſuper omnia, ſive nondum ſuper omnia diligitur.* Atqui qui ex culpabili cupiditate Deo famulatur non caret vitio, ergo juxta Janſenium *quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret.* Habet enim culpabilem cupiditatem. Similia habet plurima, ex quibus aliqua ad ſuperiores propoſitiones notavimus.

Prop. 14. *Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.* Janſenius l. 5. de Gratia Chriſti cap. 24, cujus titulus eſt: *Occurritur objectioni: & oſtenditur eandem eſſe rationem de quolibet timore pœnarum etiam gehennæ. Naſcitur ex amore creaturæ, & ſui* in corpore: Col. 555. *Vides hìc generaliter ad timendum pœnam, quam comminantur leges Dei, fidem eſſe neceſſariam; quo tamen non obſtante cum ſemper doceat S.* Auguſtinus *timorem non ex gratia, ſed legis cognitione proficiſci, perſpicuum eſt nihil obeſſe,*

quo

quo minùs timor gehennæ ex lege, seu naturæ viribus nasci dicatur.

Prop. 15. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.*

Jans. l. 5. de Gratia Christi cap. 26. cujus hic est titulus: *Uberiùs ostenditur ex Augustino timorem pœnæ, & opus ex isto timore factum, non esse ex Gratiâ Christi, sed naturæ viribus suppositâ fide.* Quomodo autem sit bonus motus cum juxta Jansenium, l. 3. de statu naturæ lapsæ cap. 15. Col. 517. *Nullum detur medium inter charitatem, atque culpabilem cupiditatem?* Cum attritio illa non sit charitas, sequitur apud Jansenium esse culpabilem cupiditatem.

Dicit quidem idem Author eodem l. cap. 21. *Timorem gehennæ secundùm se consideratum esse licitum, bonum & rectum.* Verùm cùm virtutes à vitiis, non officiis, sed finibus distinguantur, Attritio prædicta est peccatum, quia sistit in fine vitioso, seu cupiditate: adeòque juxta Jansenium simul consistit timorem secundùm se esse bonum, & tamen non esse bonam attritionem sistentem in motivo timoris.

Sunt etiam ex propositionibus reliquis nonnul-

nullæ, quæ Janſenio non admodum temerè tribuuntur. Quando enim Janſenius doctrinam aliquam exiſtimabat clarè fundatam à ſe reperiri in Auguſtino, non patiebatur ſe ab hoc ſenſu divelli propter Bullam Pontificis, ut ab Iprenſi Antiſtite hanc ſuam Macarius Havermans propoſitionem inter damnatas trigeſimam primam didiciſſe videatur: *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam.*

Notum eſt illud Janſenii Auguſtinum Pontificibus opponentis *hæreo fateor.* Imo Pontificum contra Baium Conſtitutiones, diabolicâ fraude comparatas ſuprà ſcribentem exhibui: quam mentem niſi in articulo mortis ubi teſtamentum condidit, mutaverit, non fuit tam perfecta ejus ſubmiſſio, & reverentia erga S. Sedem, quàm teſtamenti verba præ ſe ferant.

Propoſitiones 16. 17, 18, &c. quas Janſeniſtæ protruſerunt, ſatis conformes ſunt principiis Sancyrani Abbatis, colloquio Janſenii & Sancyrani, cui interfuiſſe ſe teſtatur D. de Razilly. Neque dubium videtur, quin liber de frequenti Communione collatis cum Janſenio Conſiliis, ſive ab Arnaldo, ſive quod paſſim creditur, à Sancyrano ſit compoſi-

positus. Hic autem liber propositiones aliquot eodem Decreto confixas continet præter eas, quas in Jansenio citatis fideliter sententiis demonstravi.

CONCLUSIO.

AD incutiendum cuilibet non præoccupato Jansenianorum dogmatum horrorem dixi abundè. Ad pertinaces in viam reducendos, satis me nunquam dicturum, haud inficior. Verùm hunc saltem fructum spero meæ operæ, ut quisquis Janseniano fascino nondum planè obcœcatus præsentem tractatum legerit, Augustinum Iprensem non confundat cum Hipponensi, sed dum ex Christianâ charitate Deum precatur ut defuncti Jansenii manibus benè sit, doctrinam ejus repetito sæpius anathemate à Pio V, Gregorio XIII, Urbano VIII, Innocentio X, Alexandro VII, & Alexandro VIII condemnatam cum universâ Christi Ecclesiâ detestetur. Si Episcopalis dignitas autoritatem scriptis conciliet, at non ab Ecclesiâ toties hæresios condemnatis. Non privato Episcopo sed Petro, ejusque successoribus, & Ecclesiæ suæ Christus infallibilitatem promisit. Sententias suas Jansenius moriens subjectas esse


voluit Apostolicæ Sedi, ejus judicio seu approbatas retineri, seu condemnatas abdicari. Cur ubi *rescripta Româ venerunt* à tot Pontificibus, nondum *causa finitur*, ita volente ita jubente ipso Jansenio? Usquamne voluntatem hanc, quam testatus est esse ultimam, retractavit? Aut fortè tam perfrictæ frontis & impudentiæ stultissimæ esse pergent Pseudo-Augustiniani, ut solem meridie lucere pernegent, atque ullam Jansenii sententiam Apostolico esse fulmine perstrictam? Componuntur sententiæ sententiis, damnatorum dogmatum cum Janseniano volumine verba conferuntur, omnia ubique simillima sunt, omnia prorsùs paria. Nihil est quod altera ab alteris sejungat, nisi Jansenizantium pervicacia, qui cum Domino Martino Henrico de Swaen Lovaniensi Doctore satis conspicati se à Jansenio non discrepare, ideò nolunt dicere anathema Jansenianæ Doctrinæ ne mox inferatur; ergo & tua Martine & tuorum gregalium eodem fulmine prostrata est. Pallium Thomisticum & Augustinianum Jansenio & ejus asseclis sæpius detractum est, neque plus eos potest à Pontificio anathemate præstare immunes, quàm S. Scriptura ubique ab hæreticis inclamata, eorum sententias à damnatione liberaverit. Si Augustinum illi religiosè

giosè colerent ſimul & Chriſti Vicarium venerarentur, aut ſaltem Eccleſiam Pontificis judicio ſuffragantem, mallent Janſenio renuntiare, eumque credere hallucinatum, quàm tot Pontificum definitiones erroris arguere, ſeque certo excommunicationis vinculo irretire. Janſeniſmum non fuiſſe merum phantaſma, ſed in Janſeniano volumine veram & realem exiſtentiam habuiſſe & habere etiamnum, oſtenſum eſt luculentiſſimè. Hanc autem hæreſim à Janſenii temporibus in hanc uſque diem ſerie non interruptâ protractam & ſummâ contentione defenſam fuiſſe opuſculis ſequentibus oſtendam, otii modò aliquid mihi & valetudinis cœlum impertiat.

PROTESTATIO AUTHORIS.

ADvertat Lector quæcumque ex Cranebergio hìc citata vel de eo ſcripta ſunt, typis fuiſſe mandata antequam ab Inquiſitione Romanâ prohibitus eſt Authoris illius libellus, cui titulus: *Fraus V. Articulorum*, &c. quod opuſculum nunc prorſus abdico, & pro non citato haberi volo.

FINIS.



IM-

Imprimatur

Nicolaus du Bois
Libr. Censſ.

Errata Typographica præcipua.

	Errata.	*Corrige.*
Fol. 12.	toto.	toti.
26.	accedere.	accidere.
38.	liberati.	libertati.
52.	perſupponat.	præſupponat.
54.	dedecentia.	decentia.
63.	Moliniſtice.	Moliniſticè.
71.	pendere.	pandere.
75.	afferta.	aſſerta.
79.	ojus.	ejus.
87.	quod.	quoad.
94.	ex Auguſtino.	ex Auguſtino Janſenii.
98.	appellautur.	appellantur.
113.	j m.	jam.
122.	coutextu.	contextu.
133.	miſerabilus.	miſerabiliùs.
ibid.	bllli	belli.
137.	ſentnntiam.	ſententiam.
142.	jurameti.	juramenti.
154.	Concilo.	Concilio.



